DE VERBORUM GRAECORUM QUAE IN FORMULAS ABIERUNT USU ET NATURA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PHILOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE XXX. M. JULII MDCCCLX
H. XII.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

GUIL. FRANZ. SIGISM. GUSTAVUS HOFMANNUS
RHENANUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:
AL. DONY, PHIL. CAND.
PHIL. DONSBACH, THEOL. ET PHILOL. STUD.
FR. FEDDE, PHIL. DR.

BEROLINI
TYPIS EXPRESSIT GUSTAVUS LANGE.

PATRI CARISSIMO

PIO ANIMO

SCRIPTOR.

Mira sane linguae natura est et quo magis ejus originem et intimam cum tota hominis indole cohaerentiam investiges, eo difficiliorem eam esse sentias ad certe et perspicue cognoscendum. Ac si verum est, quod hoc tempore viri docti satis evidenter demonstrarunt, linguam non hominum arte et arbitrio inventam atque formatam, sed ab ipsa humani ingenii natura necessario ac certa lege ortam esse, apparet linguam non aliter quam res quas natura gignit contemplandam esse. Quaecunque autem ab hominibus et sensa et cogitata sunt, lingua summa cum veritate tum pulchritudine expressit. Quapropter illa, quamquam copia ejus semel facta ac tradita ut materia ad exprimenda ea quae sentimus usque utimur, tantum tamen abest, ut nihil nisi materia sit eodemque loco quo aes ceteraeque fingendi artis materiae habenda, ut ipsa jam sit mentis plena animique qui in populis viget verum corpus. Qua de causa non solum physiologica sed etiam psychologica contemplandi ratio ad cognoscendam linguam adhibeatur necesse est. Jam cum nata ac necessario orta sit lingua, iisdem etiam mutationibus subjecta est iisdemque progressibus, qui in omnibus naturae rebus cernuntur. Itaque a rudibus primordiis paullatim ad majorem formarum copiam et ad admirabilem illam perfectionem processit. Est autem linguae intima cum elegantioribus hominum artibus cohaerentia, atque linguae per saecula progres-

sus persequenti eaedem leges eaedemque mutationes atque in artibus elucent. Nam ut artis fingendi iisdem monumentis alia aetate aliud quasi ingenium aliamque naturam inesse videmus, sic linguae formae variae sunt variis temporibus semperque ingeniis se mutantibus ipsae mutantur. Atque haec mutatio in eo maxime cernitur, quod ut in vivendi et tota sentiendi ratione, ita in lingua et artibus, a naturali simplicitate et a summo qui sub sensus cadit vigore progressus fit ad elegantiora atque ad ea quae magis mentis et animi sunt. Quodsi universum artium progressum inde ab antiquissimis temporibus usque ad nostrum aevum consideremus, antiquitatis, maxime Graecorum Romanorumque propriam esse inveniemus certam ac dilucidam quae sub oculos cadit rationem, quae et in arte plastica et in poesi omnibusque artium literarumque operibus conspicua est, recens autem tempus ad eas artes quae animi magis sunt, ad picturam, ad musicam, ad romanticam quam vocant sevocatamque magis a sensibus poesin processisse. Amissa autem paullatim naturali corporis vigore et quasi sanguinis abundanti vi aliam lingua adepta est praestantiam; mutavit enim cum nativa illa ad sensus spectante virium copia majorem animi ubertatem, subtiliorem notionum significandarum rationem, divitiorem orationis componendae facultatem. Quam mutationum et conformationum rationem investigare cum summi sit momenti summamque suppeditet cognitionem non solum verborum sed etiam ingeniorum omnisque populorum sentiendi et cogitandi moris, multum jam in hac provincia indaganda laboris viri docti collocaverunt, multo etiam studio ad accuratius perspiciendam linguae originem, naturam, usum opus est. Elegi mihi igitur ex hac ingenti regione aliquantulam partem, in qua memorabilem illam linguae progrediendi rationem ostendam: disseram de formularum qua-

rundam origine. Sed alienum ab hac dissertatione propter spatii angustias est, de omnibus iis vocibus, quae cum proprie adverbia non sint, usu tamen adverbiorum partes susceperunt, disserere, dico ea substantiva[1]), adjectiva[2]), formulas ex praepositionibus constantes[3]), alia[4]), quae adverbiorum loco habentur. Hoc potius mihi propositum est, *in verba tantummodo verborumque compositiones quae in adverbia transierunt* accuratius inquirere studeboque eorum

1) Pauca tantum sunt substantiva quae adverbiorum numero habere possis, aut Accusativi: δίκην, χάριν, δέμας, ἀρχήν, προῖκα, δωρεάν al. aut Dativi: κομιδῇ, σπουδῇ, ἶφι, al. Sic germanicae linguae multa ut nachts, morgens, flugs, falls, augenblicks, sommers, theils, allerdings, neuerdings, multa alia ex genitivis orta adverbia; tum Dativi: nächten, traun, quod in antiqua lingua est: entriuwen, triuwen. Accusatizi: vielmal, allezeit, heim. Ablativi: hiu naht, unde hint natum est, similiter heuer, heute, alii. — Alia tamen ut πρόφασιν, (τὸ) τέλος, (τῷ) ὄντι, ἔργῳ, ὀνόματι adverbiorum officio quidem funguntur, revera adverbia non sunt.

2) Idem qnod de substantivis, etiam de adjectivis dicendum est, quorum alia usu in adverbia abierunt, ut μακράν, πρῶτον, ἰδίᾳ, δημωσίᾳ, κοινῇ, similiter etiam participium τυχόν, alia adverbiorum vim potius quam veram naturam habent ut ἀληθές, (τὸ) λοιπόν, τελευταῖον, σύμπαν, alii absolute positi accusativi. Speciem tantum adverbiorum etiam ii accusativi prae se ferunt, qui id significant, quod verbis quibuscum conjuncti sunt, quasi continetur ut ἡδύ (γελᾶν), δεινὸν (βλέπειν), μέγα (αὔειν), αὖον (ἀΰτειν), latine: dulce (ridere), solidum, magna, pingue (sonare).

3) Huc pertinent compositae formulae ἐπιπολὺ, παραχρῆμα, προύργου, al. quibus germanicae respondent: zumeist, zuerst, zuletzt, zulieb, zwar, fürwahr, zumal, entzwei, zufolge, unterwegs, überhand, al. Etiam postposita praepositione, ut bergan, himmelan, bergunter, stromauf.

Verum absonum est, vocabula, quae fere idem quod adverbia significant, quorum tamen forma nondum attrita ab adverbiis abhorret, temere adverbia esse statuere, ut in Eile, in Ernst, in der That, zu Berg, mit Willen, zu Haus, zu Fuss.

4) Sunt formulae varie compositae: δηλονότι, ἄλλο τι, ἄλλο τι ἤ, ὅσαι ἡμέραι, aliae aut absolute aut elliptice positae

ubi opus est originem, vim, usum demonstrare idque ita faciam, ut quomodo factus sit paullatim in adverbiorum naturam progressus, qui sint mutationis gradus, quae quasi torpescendi ratio, historice ut ita dicam persequar. Atque ad hunc finem varii et poetarum et scriptorum ab antiquissimis inde temporibus usque ad recentiora usus et singulorum loquendi proprietates respicantur necesse est.

Jam ad ipsam rem adgredienti mihi tota de qua agitur materia in duas dividitur partes, quarum altera eas formulas, quae ex *imperativis*, altera eas quae ex *aliis verbi modis* natae sunt continet, et haec quidem et *simplices* et *compositas* formulas comprehendit.

I. FORMULAE EX IMPERATIVIS NATAE.

Ἄβαλε. Βάλε.

De his vocibus, cum ejusdem sint originis, una agam ac primum quidem de simplici forma βάλε. Quae forma imperativi Aoristi II verbi βάλλειν nulla quidem mutata litera, vi tamen tam attenuata et comminuta est, ut firma evaserit formula. Rara autem ejus exempla exstant, quare quo pacto paullatim hanc vim susceperit, ex usu cerni non potest. Legitur βάλε in Alcmanis fragmento Bergk. Poet. lyr. graec. p. 542[5]):

Οὔ μ᾽ ἔτι, παρθενικαί μελιγάρυες ἱμερόφωνοι,
γυῖα φέρειν δύναται· βάλε δή, βάλε κηρύλος εἴην etc.

Et Diomedes in Bekk. Anecd. gr. p. 946, 14 laudat Callimachi fragmentum:

βάλε μοι, βάλε τὸ τρίτον εἴη.

---

5) Exstant verba in Antigon. Caryst. Hist. mirab. c. 27. et in Bekk. Anecd. gr. II p. 622, 15 sq. et II p. 946, 9 sq.

Nullam arbitror aliam vim vocabuli βάλε utrique loco aptam esse quam optandi, ut idem sit quod εἴθε; atque haec etiam a veteribus grammaticis ei tribuitur[6]), sed tamen Etymologici magni auctor[7]) querentis illud esse contendit, ut idem sit quod φεῦ sive ἆ; non recte id quidem, in errorem autem mihi videtur abductus esse querendi vocula ἆ, quae saepius cum βάλε conjuncta occurrit. Significatio autem φεῦ non solum iis qui exstant locis minus convenit, sed etiam ab ipsa verbi βάλλειν natura abhorret. Jam rationem mihi quaerenti, qua optandi particulae vis e verbo βάλε orta sit, etsi haud facilis res ad dijudicandum ob exemplorum paucitatem est, tamen hoc veri simile videtur. Sunt in Euripidis Electra v. 1323 haec verba Electrae: περί μοι στέρνοις στέρνα πρόςαφον, σύγγονε φίλτατε. quibus Orestes respondet: βάλε, πρόςπτυξον σῶμα. Hic verbum βάλε vim habet incitandi, ut Electra fratrem amplectatur, propria significatione intransitiva, quae est geh! komm! paene exstincta mutataque in mere adhortandi vim. Illa quidem principalis verbi vis, sed tamen aliquantulum ad hanc inclinans in his

---

6) Hesych. Lex. explicat: ὄφελον. Suidas: βάλε· εἴη, εἴθε μοι. Diomed. in Bekk. Anecd. gr. p. 946, 15 sq.: τὸ βάλε ὁμοίως κατ' ἰδίαν ἐπίρρημα εὐκτικόν.

7) σχετλιαστικὸν ἐπίρρημα, ἀντὶ τοῦ φεῦ, οἷον· βάλε βάλε κήρυξ φωνήν. Item Steph. in Thes. s. v. βάλε, correcto tamen vocabulo κηρυξ in κήρυκος, nimirum ut significationi φεῦ locum vindicaret. Quod haud bene factum puto, neque enim video, quo modo hac emendatione loco tam discisso aut probabilis sententia insit aut βάλε voculae querendi significatio confirmetur. Bastius ad Gregor. p. 929 verba haec e versu illo Alcmanis sumta et corrupta esse conjecit, cujus opinionis nulla est idonea causa. Mihi potius, cum contextum loci nesciamus, Etymologi verba, quae etiam in Phavorino reperiuntur, retinenda esse videntur, vocem κήρυξ pro vocativo accipienti, ut sensus sit: mitte, mitte, praeco, vocem. βάλε igitur hic propriam, non formulae vim habet.

locutionibus obvia est: βάλλ' ἐς μακαρίαν, βάλλ' ἐς κόρακας, al. Jam ex hac incitandi vi paullatim decrescente quo modo generalis orta sit optandi significatio, haud difficile est intellectu. Inest enim iam in ipsa adhortandi formula optandi quaedam notio, quare illa, cum pro sequentis verbi imperativo optativus poneretur, ipsa in optandi particulae vim abire potuit.

Itaque βάλε primum cum secunda persona sequentis verbi conjunctum esse suspicor, tum etiam ad veteras personas accommodata tam amplificata et deminuta est, ut omni fere abjecta propria vi maxime universam ac tenuissimam naturam obtinuerit, transierit in stabilem optandi particulam. Ad confirmandam hanc significationem etiam δή particula voci βάλε addita alicuius mihi videtur esse momenti: saepe enim eadem particulae εἴθε aliisque optandi vocabulis adjungitur ad confirmandam fortiusque exprimendam optationem.

Jam ad ἀβάλε formulam non multo crebrius obviam transeo. De cujus origine, cum per se pateat, nihil dicendum est. Quod vero alii unam ejus formam esse volunt, alii disjunctam (ᾶ βάλε)[8], parvi quidem hoc puto interesse, tamen illam malim significationis causa, de qua jam agam.

Ac de hac quidem veteres grammatici dissentiunt. Nam

---

8) Schol. in Dionys. gramm. Bekk. Anecd. gr. II. p. 946, 9: δύο μέρη λόγου ἐστὶν ἐκ παραλλήλου κείμενα· — — τινὲς δὲ ἓν μέρος λόγου ὑφ' ἓν ἀναγιγνώσκουσιν. — De accentu et veteres et recentiores dissentiunt: ἄβαλε exhibent Dionys. Thrax, Schol. in Dionys. Thrac. gramm., Cyrill. Lex., sic etiam Jacobs. in Anthol. Gr., Schneiderus, Pape in Lex. ἀβάλε invenitur in Hesych., Suida, Phavorino, Etymol. M., Stephano, Passowio. Equidem scripturam ἀβάλε rationi magis consentaneam habeo, nam cum, quod jam ostendam, voculae ᾶ omnis vis in composito ἀβάλε evanuerit, mediae syllabae sonum tributum esse probabile videtur.

Diomedes[9]) et ἆ et βάλε proprie idem quod εἴθε esse ait, Hesychius ἀβάλε vocat optandi formulam, item Dionys. Thrax et Suidas. Etymologus vero, quam Stephanus in Thes. sequitur, et ἆ et βάλε et ἀβάλε voculis vim interjectionis φεῦ tribuit. Et hanc et diomedis sententiam a vero aberrasse apparet, cum neque βάλε, ut demonstravi, pro φεῦ habendum sit neque ἆ alia quam querendi et admirandi in notione usurpetur[10]). Immo hoc modo formulam ἀβάλε intelligendam esse arbitror: ἄ et ἆ sunt querendi, dolendi, etiam mirandi notissimae voculae, βάλε, ut ostendi, idem quod „utinam“ valet: itaque in ἀβάλε formula ex his vocibus conflata querendi et optandi notiones confusae inerant, quarum tamen illa, cum tenuioris partis vis a fortioris reprimeretur, paullatim paene prorsus evanuit, ut ἀβάλε eadem fere qua simplex βάλε significatione usurparetur, non aliter

9) Schol. Diom. in Dion. gr. Bekk. An. II p. 946, τὸ α κατ' ἰδίαν εὐκτικὸν ἐπίῤῥημα ὡς τὸ αἴθε, καί τὸ βάλε ὁμοίως. Hesych: ἀβάλε· ὄφελον, εἴθε. Dion. Thr. in Bekk. An. II p. 642, 1. Suidas ἀβάλε· εἴθε, ἆ βάλε et Gaisford. in adnot. ad h. l. βάλε per se „utinam“ signifare dicit, quod et ἆ. Etym. M. βάλε· — — σχετλιαστικὸν ἐπίῤῥημα — —· τοῦτο πλεονασμῷ τοῦ α, καὶ αὐτοῦ σχετλιαστικοῦ ὄντος, γίνεται ἀβάλε.

10) Steph. Thes. gr. l. s. v. ἆ veterum testimoniis nisus voculae ἆ etiam optandi vim tribuit, ut idem quod εἴθε valeat. Quod qui crediderit, mira credet, nam prorsus ignoro, quo modo optandi vis in ἆ vocula inesse possit. Fortasse autem interdum optativus sine εἴθε positus est antecedente ἆ dolentis vocula, qua re factum esse arbitror, ut ἆ falso pro optandi particula habitum sit.

Eustath. autem, dum ἆ etiam εἴθε significare adnotat ad Odyss. ξ, p. 1763, 60 et κ, p. 1664, 4 exemplum affert nullum. Item Photius in Lex. verba non addit, cum dicat: ἆ περισπασθὲν δηλοῖ τὸ εἴθε· οὕτως γὰρ Καλλίμαχος κέχρηται. Quod autem exemplum Hesych. et Suidas laudant, tam corruptum tamque sensu carens est, ut nihil inde colligere liceat, quo optandi illa vis probetur. Itaque cum neque exemplis ille usus confirmetur neque rationi probabilis sit, a grammaticis veteribus erratum esse existimo.

quam nostrum „o wenn doch“, in quo jam nullam saepe querendi, solam optandi vim sentimus. Hinc etiam consentaneum est, ἀβάλε potius quam ἆ βάλε scribendum esse, quia ἆ voculae vis ipsa compositione evanuit.

Atque illa significatio ut rationi convenit ita exemplis probatur. Unum est in Agathiae epigr. in Jacobs. Anthol. gr. IV p. 33:

ἄβαλε μηδ' ἐγένοντο γάμοι, μὴ νύμφια λέκτρα
οὐ γὰρ ἂν ὠδίνων ἐξεφάνη πρόφασις.

ἀβάλε hoc loco cum indicativo praeteriti temporis conjunctum indicat, aliquid quod optaretur non evenisse. Jac. Anth. IV p. 102 epigr. adesp.:

ἄβαλε μήτε σε κεῖνος ἰδεῖν μήτ' αὐτὸς ἀνεῖναι
Τρίτων Αἰγαίου νῶτον ὑπὲρ πελαγεύς.

Hic post ἀβάλε infinitivus positus est, qui quidem aliquoties post εἴθε quoque particulam occurrit[11]). Jac. Anth. II p. 25 Aemil. epigr.:

ἄβαλε χειμερίου με κατέκλυσε κύματα πόντου
δειλαίην νεκύων φόρτον ἀμειψαμένην.
αἰδέομαι σωθεῖσα etc.

ex totius loci sententia, praesertim ex αἰδέομαι σωθ. clare apparet, ἀβάλε non φεῦ, sed utinam significare. Denique in fragm. Callimachi 455. ed. Ernest.;

ἀβάλε μηδ' ἀβόλησαν.

Ex his exemplis, quibus aliud non habeo quod addam, solam optandi vim formulae ἀβάλε tribuendam esse, satis luculenter apparet.

---

11) Pseudophocyl. in Bergk. Poet. lyr. gr. v. 45: χρυσέ, κακῶν ἀρχηγέ, Διοφθόρε, πάντα χαλέπτων, εἴθε σε μὴ θνητοῖσι γενέσθαι πῆμα ποθεινόν. cf. Antip. Thess. epigr. 35 in Jac. Anth. II p. 104.

Ἄγε et Ἄγετε. Εἰ δ'ἄγε et Εἰ δ'ἄγετε.

Occurrit verbum ἄγε persaepe et in variis formationis gradibus, quo fit, ut qua ratione paullatim attenuatum et in particulam mutatum sit, accuratius demonstrari possit. Atque in illo praeclare conspicimus linguae viam, quae ab eo quod sub sensus cadit, a rebus singulis ac certis ad id quod ad mentem pertinet et ad universa progreditur; conspicimus reconditam linguae consuetudinem, qua loquendi formae, quae principio plena vi et propria gravitate vigebant, usu tantopere atteruntur tamque imbecillae ac tenues fiunt, ut principalem naturam plus minus amittant novaque munera subeant. Jam apud Homerum omnes adverbiascentis verbi ἄγε usus inveniuntur et post illum particula saepissime a quibuslibet et vinctae et solutae orationis scriptoribus usurpatur. Discrimina autem subtiliora in ejus usu si examinamus, tres maxime gradus torpescendi animadvertimus.

Primum imperativus ἄγε cnm alio imperativo secundae personae singularis conjungitur idque non interposita particula καί, qua re alter ad alterum arctius se applicat atque ille vi et pondere deminuitur, inservit enim ei quod sequenti imperativo significatur, vigore quodam commendando et rogando. Il. α, 210 ἀλλ' ἄγε λῆγ' ἔριδος.[12])

Hic quamquam de verbi vi aliquantulum etiam in formula

---

12) cf. Il. α, 337. δ, 100. ε, 174. 221. 226. 829. ζ, 340. 354. 431. θ, 105. 139. κ, 321. 384. 405. 479. λ, 314. 819. ν, 235. ο, 258. π, 724. ρ, 179. 245. τ, 68. 171. υ, 104. φ, 221. ψ, 313. ω, 137. 197. 380. 407. 429. 522. 656. Odyss. α, 169. 309. β, 349. γ, 17. δ, 486. η, 162. κ, 333. ο, 383. τ, 16. 357. ψ, 171. al. Idem usus apud plerosque scriptores exstat. cf. Alcman. 1. et 29. in Bergk. Poet. l. gr. Sapph. 70. ibid. Stesich. 42. Pind. Nem. 6, 31. Ol. 13, 68. Anacr. 63. ibid. Soph. Aj. 1097. Trach. 1259. Eurip. Med. 1211. Arist. Thesm. 107. Plat. Phaed. p. 80. ε. al.

inesse sentimus, paene omnis tamen illa abiit, ut nihil nisi universa adhortandi incitandique vis restet. Aliquanto etiam infirmior formula est in Il. γ, 192 εἴπ' ἄγε μοι — —, item in ι, 673 κ, 544 Theocr. Id. 25, 177 al. ubi in encliticae fere modum verbo annexa propria vi magis privatur. Interdum etiam interrogatio hanc formulam sequitur ut Il. η. 36 ἀλλ' ἄγε, πῶς μέμονας — —; Pindar. Ol. 2, 89. Aeschyl. Ag. 783 Arist. Therm. 652 qua re de adhortandi illius vi nihil mutatur, incitat enim, ut quis interroganti respondeat, germanice fere: sag an. Alter deminutionis gradus cernitur in eo, quod ἄγε ad primam vel tertiam verbi sequentis personam sigularis numeri refertur[13]):

Il. υ, 351 ἀλλ' ἄγε δὴ - - τῶν ἄλλων Τρώων πειρήσομαι.
υ, 355 ἀλλ' ἄγ ἀνὴρ ἄντ' ἀνδρὸς ἴτω.

Etsi interdum imperativus aliquis, ut veni, audi, al. proprie subaudiri potest, tamen vocabuli et forma adeo obtorpuit et significatio tam infirma et incerta facta est, ut ἄγε nullo compellato ad universam aliquam actionem referatur.

Jam adeo vero vigorem omnem et mobilitatem amittit, ut vel ad plures adhortandos usurpetur[14]). Od. γ, 475:

παῖδες ἐμοὶ, ἄγε — — ἵππους ζεύξατε.

Et hic quidem est extremus gradus, in quo ἄγε imperativus abjecta verbi natura in immutabilem particulam transiit. Secernenda ab hoc usu ea exempla sunt, in quibus ἄγε cum prima pluralis persona conjunctum esse videatur, velut Il. ω, 356 ἀλλ' ἄγε δὴ φεύγωμεν. Sed hoc verbis potius quam re:

---

13) cf. Il. 1, 60. φ, 60. Od. γ, 421. θ, 205. 542. κ, 286. ν. 344. 397. χ, 428. 487. ψ, 73. Pind. Nem. 10, 153. Soph. Aj. 1413. Nicand. Theriac. 528. 636.

14) Il. β, 331. Od. β, 212. 252. γ, 332. δ, 669. θ, 250. μ, 288. ϭ, 55. φ, 111. 281. 336. Soph. Trach. 1255. Eur. Suppl. 270. Arist. Thesm. 785. Av. 685. Antiphil. epigr. in Iac. Anth. IV p. 154. Xen. Apol. 14. Cyr. 4, 2, 47. vid. Naegelsb. Adnot. ad Il. p. 281. edit. 2.

nam ubique aut alter ad alterum loquitur seque ipse in sequenti prima pluralis persona comprehendit[15]), aut unus adhortatur multos, quibus se eodem modo adjungit[16]).

Interdum etiam sola occurrit ἄγε formula, nullo addito ad quod referatur verbo; sed facile tum verbum ex praecedentibus subintelligitur, ut ad eundem quem modo memoravi usum res redeat. Plat. Pol. V 474 C. ἴθι δή, ἀκολούθησόν μοι τῇδε — —. Ἄγε δή, ἔφη. Aut ἄγε non ad certum quoddam verbum referri potest, sed ad totum quod sequitur enunciatum, ut Plat. Soph. 235 A. ἄγε δή, νῦν ἡμέτερον ἔργον ἤδη τὸν θῆρα μηκέτι ἀνεῖναι.

Neque tamen cum ἄγε formula in adverbii naturam plane abierit, adeo adverbii vis increbruit, ut nunquam forma potuerit mutari. Immo formula illa adhortandi etiam in plurali saepius occurrit juvatque considerare, quomodo ἄγε inter verbi et particulae naturam fluctuet, et sicut in loquentis mente verbi vis magis aut minus vigeat aut etiam versus ratio postulet, ita aut flectatur aut adverbii instar usurpetur. Itaque ἄγετε quoque, cum eadem qua ἄγε adhortandi significatione dicatur, in formularum adverbiascentium numero habendum est. Nihil enim ab ἄγε formula differt nisi majorem aliquantulum vim inesse statuas. Il. χ, 174 ἀλλ' ἄγετε φράζεσθε, θεοί[17]). Etiam prima verbi persona sequi-

15) Il. α, 62. 141. γ, 441. δ, 418. ε, 249. 718. λ, 348. ν, 292. ξ, 314. υ, 244. 257. χ, 231. 254. ψ, 537. ω, 618. Od. κ, 44. ν, 296. ξ, 393. ρ, 190. 274. Pind. Pyth. 1, 60. Anacr. 63 in Bergk. Poet. l. gr. Arist. Thesm. 947. Theoc. Id. 7, 35. Plat. Pol. VIII. 543. C. Phaed. 116. D.

16) Il. χ, 391. Od. δ, 776. θ, 34. 389. ν, 13. π, 348. Aesch. Pers. 140. Eum. 307. Suppl. 625.

17) Il. β, 72. 83. η, 193. ψ, 573. Od. δ, 294. κ, 460. μ, 23. φ, 72. 106. 134. 263. χ, 252. Tyrtaei frgm. 12 et 13 Bergk. Poet. p. 313. Aesch. Choeph. 803. Xen. Cyr. 7, 5, 24. Plat. Phaedr. 237. A. Euthyd. 304. B. Apoll. Rhod. Argon. β, 1192.

tur, si is qui adhortatur se ipse eorum qui compellantur numero adjungit[18]). Ἄγετε autem rarius jam ab Homero, multo etiam rarius a posterioribus scriptoribus usurpatur, unde apparet, magis magisque adverbiali vi increbrescente mutabilem ἄγετε formam ab ἄγε particula depulsam esse. — Quamquam igitur idem quod ἄγε valet, hoc tamen interest, quod non adeo unquam verbi vis e sensu elapsa est, ut ἄγετε formula etiam ad unum incitandum relata sit. Itaque eadem quae in ἄγε in ea inest adhortantis adverbii vis, forma ejus non pariter obtorpuit.

Ex his quae de ἄγε et ἄγετε formularum usu dixi, appareret, unam eandemque esse earum ab Homero inde significationem: sunt enim ubique incitantis atque ex vario incitationis gradu modo jubentis modo monentis modo rogantis. Neque difficile est intellectu, quo modo haec adhortandi significatio e verbo ἄγειν orta sit. Atque ortam eam puto ex intransitiva verbi significatione, quae est komm! vel geh! tum ad aliud verbum relatus hic ἄγε imperativus paullatim amisit nativam suam de loco movendi vim nihilque nisi universam movendi retinuit, per se quidem inanem tantumque ad rem aliquam agendam incitantem.

Voculae εἰ δ᾽ἄγε et εἰ δ᾽ἄγετε jam apud Homerum plane in formulas abierunt, sunt vero etiam loci, in quibus principalem ac mutabilem naturam nondum abjecerint. Formula εἰ δ᾽ἄγε proprie elliptica est pro εἰ δέ βούλει ἄγε, quae quidem plena forma quod sciam non invenitur, sed similis loquendi ratio saepius, ut Od. ρ, 277 εἰ δ᾽ἐθέλεις, ἐπίμεινον. cf. Il. φ, 487 Plat. Prot. 384 A. Elliptica autem omnino di-

18) Il. ε, 469. ι, 26. 165. 704. μ, 75. ξ, 74. 370. ο, 294. ρ, 634. υ, 119. 300. Od. α, 76, κ, 176. μ, 213. 343. θ, 179. π, 376. σ, 418. χ, 139. ω, 430. Xen. Cyr. 5, 3, 16.

cendi forma εἰ δέ et εἰ δὲ μή Graeci haud raro utuntur[19]), velut Il. ι, 262 εἰ δέ, σὺ μέν μοι ἄκουσον, atque ex hoc verbi omittendi usu facile intelligitur, quo modo propriae significationis sensus evanuerit atque εἰ δ'ἄγε tantum rigorem induerit et immutabilitatem, ut adhortandi formulae instar usurpatum sit. Perpauca exempla sunt, in quibus voces εἰ δ'ἄγε nondum in formulas mutatas, sed pro εἰ δέ βούλει, ἄγε accipiendas esse existimare liceat[20]). Il. α, 302, quem locum sic intelligo: si vero placet, periculum fac etc. In plerisque autem locis mortua quasi est formula ac plane obriguit, et inutile mihi videtur artificiosa ac torta explicatione formulam dissolvere verbumque ad εἰ δ' subaudire quod Vigerus[21]) ad Il. α, 524 fecit, verba εἰ δ'ἄγε τοι κεφαλῇ κατανεύσομαι, ὄφρα πεποίθῃς explicans: quodsi dubitas, age tibi jam capite annuam, quae interpretatio usu haud probatur. Immo in formulam abiisse haec verba ex iis locis, in quibus εἰ δ'ἄγε in orationis initio posita est, veri simile mihi videtur, ut Il. ζ, 376[22]), ubi Hector servas alloquens a formula εἰ δ'ἄγε initium facit. Neque enim hic in δέ particula ulla adversativa vis inesse potest neque verbum βούλεσθε subintelligi consentaneum est[23]). Particula autem δέ etsi apud Homerum saepe

---

19) Il. 1, 46, ubi subaudias βούλονται ἀπιέναι. Plat. Lymp. 212. C. Euthyd. 285. C. Cratyl. 407. D. Min. 688. B. vid. Boeckh. in Plat. Minoem p. 171.

20) Huc pertinet fortasse etiam Il. θ, 18. vid. Eustath. ad Il. ψ, 579. π, 667.

21) De praecip. gr. dict. idiot. p. 511. edit. 3. Herm.

22) Bothii explicatio, qua εἰ δ'ἄγε hoc sit: si scilicet dicitis vel si mihi dicere seu respondere soletis de rebus domesticis — subaudiendum enim esse verbum μυθεῖσθε — et arte nimia et sententia inepta est. Similiter εἰ δ'ἄγε in initio sermonis positum est Il. π, 667. Od. μ, 112. ψ, 35. Huc etiam ii loci pertinent, ubi vocativus εἰ δ'ἄγε formulam praecedit, Il. ρ, 685. ψ, 581. Od. β, 178. χ, 391.

23) Cum ab Hectoris dignitate talis servarum allocutio abhorret,

nullam fere adversativam, sed attenuatam comminutae δή particulae vim habet, tamen ad illud εἰ δ'ἄγε hanc significationem adhibendam esse nego, cum formulam hanc ex adversativo εἰ δέ ortam esse usu satis probetur. Atque εἰ δ'ἄγε in rigidam formulae naturam plane transiisse, ex eo quoque sequitur, quod interdum in apodosi occurrit praecedente conjunctione εἰ, ἐπεὶ, aliis[24]).

Sic cum εἰ δ'ἄγε mortua quasi formula facta esset, haud mirum est, etiam plurali verbo eam esse conjunctam[25]). Neque tamen etiam εἰ δ'ἄγετε non invenitur idque etiamsi ad plures dictum formaque ejus flexa est, tamen, quia in apodosi est, prorsus adverbiali vi usurpatum. Il. χ, 301. Praeter Homerum formula εἰ δ'ἄγε raro invenitur ac videtur paucis locis exceptis epicae orationis propria esse[26]).

Jam haec formula cum proprie valeret „si placet, agedum", usu tam deminuta est, ut altera significationis pars eaque infirmior plane evanuerit atque tota formula non nisi potioris ἄγε particulae vim retinuerit. Cujus significationis nonnulla subtiliora discrimina cognosci possunt. Tum enim est jubentis vel incitantis, ut Il. ζ, 376. ι, 167, ρ, 685, τ, 108. Od. α, 271, χ, 391. tum rogantis, ut Il. π, 667.

---

tum si quis aliud verbum velut δύνασθε subaudiendum censeat, usu locutionis εἰ δ'ἄγε refutabitur.

24) Il. χ, 381. Od. δ, 832. Apoll. Rhod. Arg. δ, 758.

25) Il. ζ, 376. Orph. Argon. 253 ed. Gessner. Callim. hymn. in Dian. 81, ubi εἰ δ'ἄγε mediae orationi insertum est. Valcken. ad Callim. eleg. frgm. 13 p. 279 veteres grammaticos εἰ δ'ἄγε ex εἶα δὴ ἄγε derivasse dicit, in quem errorem simili harum duarum formularum significatione, neglecto vario εἰ δ'ἄγε locutionis usu, induci facile potuerunt. — Apollon. Rh. Arg. δ, 897.

26) Orph. Arg. 253 sequente plurali verbo. Apoll. Rh. α, 657. β, 686. γ, 1. Nicandr. Col. Ther. 747. 769. 848. Theocr. Id. 2, 95. Callim. epigr. 37 in Zac. Anth. p. 221.

Od. δ, 832, ψ 35 tum attendentis vel offerentis, ut Il. α, 524, ψ, 579, ω, 33[27]).

Ἄγρει. Ἀγρεῖτε.

Derivandae hae formulae sunt a verbo ἀγρεῖν paene inusitato, quod saepius in composito verbo ζωγρεῖν occurrit, ut Il. κ, 378. Herod. 1, 86. 5, 77. Exstat autem transitivum verbum ἀγρεῖν in Archilochi fragm. 4. Bergk. Poet. l. gr.:

ἄγρει δ' οἶνον ἐρυθρὸν ἀπὸ τρυγός.

Tum apud Sapph. 2, 13. 14 τρόμος δὲ πᾶσαν ἀγρεῖ. Apud Aeschyl. Ag. 126 χρόνῳ μὲν ἀγρεῖ Πριάμου πόλιν ἅδε κέλευθος.

Denique in Phaniae epigr. 7 Jac. Anth. II p. 55 αἴτε τιν' ἀγρεῖς μόρμυρον ἢ κίχλην — —, et in eodem epigrammate εὐάγρει. Legitur etiam in Nicandr. Col. Ther. 534. 630. 594. 879.

Hic igitur paucis exemplis transitivum verbum ἀγρεῖν certe usurpatum esse probatur. At jam Homerus nulla ejus verbi nisi imperativi forma eaque sine objecto utitur, adjuncto semper verbo secundae personae[28]), ut Il. ε, 765:

ἄγρει μάν οἱ ἔπορσον Ἀθηναίην ἀγελείην.

Hic usus ἄγρει vocabuli apud ceteros poetas quod sciam non reperitur, praeter Apollonium Rhodium, Homerici sermonis imitatorem.

Jam de significatione ἄγρει formulae veteres plane consentiunt eamque idem quod adhortandi particulam ἄγε vel φέρε valere tradunt[29]); atque hoc quidem rectissime. Nam cum proprie valeret „ergreif, nimm", absolute posita hanc vim

---

27) Vie. Krueger. Dial. gramm. 69, 21, 3.

28) Il. η, 459. λ, 512. ξ, 271. Od. φ, 176. Item Apoll. Rh. α, 487.

29) Hesych: ἄγε, λαμβάνε, φέρε. προστακτικόν. Etym. M: ἄγε ἢ λάβε καὶ φέρε. Eodem modo Eustath. p. 605. 894. Suidas, alii.

tenere quidem poterat, ubi res aliqua simul audiebatur, verum ubi imperativo sequente ad actionem referebatur, definita capiendi vi decrescente verbi vigorem exuebat atque in universam ad agendum aliquid adhortandi formulam vertebatur: frisch auf, wolan![30]) Quae cum ita sint, memorabile est, ἄγρει formulam nunquam cum plurali verbo jungi, sed potius, ubi ad plures oratio fit, ἀγρεῖτε usurpari, eadem tamen adhortandi significatione. Od. υ. 149. Qua quidem re perspicuum fit, quamvis verbum in adverbialem locutionem abierit, tamen cum forma verbi non detrita ac comminuta esset, obscurum quendam verbalis naturae sensum animis usque inhaesisse.

Ἀμέλει.

Hic imperativus usitati verbi ἀμελεῖν saepe propria verbi vi dictus occurrit: ne cura, securus sis, velut Arist. Lysistr. 842: ἀμέλει, ποιήσω ταῦτ' ἐγώ[31]). Jam ex hoc verbo sensim factus in adverbii naturam progressus locis quibusdam, in quibus verbone an formulae locus sit dubitari potest, cernitur. In Arist Lys. 172: ἡμεῖς ἀμέλει σοι τά γε παρ' ἡμῖν πείσομεν vocabulum ἀμέλει et insertum orationi verbum et adverbium habere licet. Paullo magis ἀμέλει ad formulam accedit in Arist. Lys. 164: κἀμέλει ταχέως πάνυ ἀπεροῦσιν. Tum vero plane obriguit et in particulam mutatum est, quae apud tragicos poetas nondum invenitur, at apud Aristophanem aliosque comicos, Platonem, Xenophontem, posteriores. Ἀμέλει verbum cum propria vi esset alicujus animum confirmantis, decrescente et attinuata nativa significatione facile poterat in asseverandi, confirmandi, concedendi particulam

30) H. Steph. Thes. Buttm. Lexil. I p. 129. Doederl. Hom. Gloss. I p. 47 sq.

31) Arist. Nub. 488. 877. 1111. Acharn. 368. Eccl. 800.

transire. Quamquam hujus significationes difficiliores sunt ad intelligendum; quo factum est, ut varie et partim inepte a quibusdam explicata sit[32]). Atque e veteribus quidem grammaticis Hesychius interpretatur: διό, ἁπλῶς, οὕτως, οὖν, τοιγαροῦν. Suidas: τοιγαροῦν. Etymol. M.: τοιγαροῦν, δηλαδή, πάντως[33]). Jam nativam verbi vim si respicimus atque ex ea varios quos usus suppeditat modos ducimus, non temere significationes ei tribuentes, quae ab ejus natura abhorrent, hae fere formulae significationes efficiuntur. Primum ἀμέλει formula certe contendentis et confirmantis est idque quod quis verum esse opinatur aut sibi persuasum habet, declarat, latine: certe, profecto, mihi crede. Arist. Equ. 1213. Plat. Polit. VI, 500. A. Hipp. maj. 295. B. Xen. Cyr. 5, 2, 13. 8, 3, 4. Lucian De Electr. 1.

Tum rem aliquam probantis vel ipsius rei veritatem maxime respicientis est, latine: haud dubie, revera, utique. Plat. Phaed. p. 82. A. Polit. VII, 539. E. Xen. Mem. 1, 4, 7.

Ex his facile concedendi largiendique vis sequitur, ut sit sane, videlicet, germanice: allerdings, ja freilich, gewiss. Plat. Pol. IV, 422. C.

Jam vero ubi ἀμέλει formula ad antecedentem rem con-

32) Vid. Viger. p. 381 sq. Budaei Comment. gr. l. p. 929.

33) Simpliciter sane Moeris in Lex. Attico praeter alias significationes hoc statuit de ἀμέλει formula: ἔστι καὶ περιττὸν ἐν ταῖς γραφαῖς κόσμου χάριν παραλαμβανόμενον. Neque minus ab ἀμέλει abhorret, quod Vigerus et Hoogeveenus ad Viger. l. l. significare eam dicunt: idem enim fere esse quod οἷον, exempli gratia, quae significatio mere ficta neque ex propria verbi ἀμέλει natura ac vera vi ducta est. Nam quae exempla laudant ad confirmandam hanc vim, ea si accuratius consideraveris, non postulare illam videbis, ut Aristidis De Quatuorviris p. 422. ἀμέλει potius rem confirmantis et vi quadam pronunciantis est. — Schol. ad Arist. Lys. 172 solam vim affert πάντως.

firmandam valebat simulque ad sequentia verba arctius referebatur, factum est, ut conjungentis, concludentis, colligentis formulae vim acciperet solamque duorum enunciatorum rationem indicaret; itaque idem fere valet, quod nostrum „so denn nun“ vel also. τοιγαροῦν. Plat. Pol. V, p. 450. A.

Postremo ἀμέλει ita usurpatur, ut specie tantum ac dissimulate aliquid verum esse declaret, quod re ipsa negatur, quare cum ironia aut irrisione loquentis est et nostrum „natürlich, versteht sich, ja gewiss“, Latinorum „scilicet, nempe“. Arist. Ran. 532.

Sic quamvis propria vis valde attenuata ac paene obscurata sit, tamen quomodo variae hae significationes necessario inter se cohaereant atque cognatae sint, seclusis significationibus a verbi natura alienis ex ipsa cogitandi ratione, usu simul duce, ostendisse mihi videor.

Δεῦτε.

Δεῦτε voculam dum in harum quas tracto formularum genere numero, eo ipso ductam ejus a verbo originem declaro. Ac de origine quidem veterum sententiae discrepant: nonnulli[34]) enim δεῦτε cum ἄγετε formula comparantes alteram pluralis numeri personam vocabuli δεῦρο esse contendunt, quod etsi adverbium sit, tamen propter vim imperativo similem pluralem verbi formam acceperit. Quae quidem sententia cum omni caret ratione tum jam ab Herodiano[35]) refutata est, qui δεῦτε vocabulum adverbium esse indicat.

34) Apollon. de adv. p. 552, 29 sq. et p. 554, 12 sq.: Φαίνεται δὲ ὅτι καὶ τὸ Δεῦρο, ὁμοίως ὂν ἐπίῤῥημα, ἐχόμενον δὲ ὡς προστακτικῆς ἐννοίας, κατὰ συνεκδρομὴν πάλιν ὡς ἀριθμὸν ἀνεδέξατο. cf. Etymol. M. s. v. ἄγετε et δεῦρο.

35) Περὶ μονήρ. λέξ. p. 27, 2.

Buttmanno in ampliore grammat. §. 115, a. 10. veri simile videtur, δεῦτε ex δεῦρ' ἴτε ortum esse[36]), quod verissimum judico; atque hoc quidem usu accuratius perpenso manifestum fiet.

Ac primum ad illam derivationem ducimur crebro plenae formae δεῦρ' ἴθι et δεῦρ' ἴτε[37]) usu tum propria tum adhortandi vi usurpatae. Jam ubi in unum confusa δεῦτε formula occurrit, varietates quaedam usus observandae sunt. Primum idem quod plena δεῦρ' ἴτε forma valet, ut sit: huc adeste[38]). Il. ν. 481:

Δεῦτε, φίλοι, καί μ' οἴῳ ἀμύνετε.

Tum evanescente locali δεῦρο adverbii notione δεῦτε formula universam adhortandi vim sumsit, ut nostro „komm, kommt" interdum incitandi magis quam locali advocandi significatione utimur. Od. θ, 11:

Δεῦτ' ἄγε, Φαιήκων ἡγήτορες ἠδὲ μεδόντες,
εἰς ἀγορὴν ἰέναι.

Haec vero jam extremum torpescendi gradum attingit, in quo δεῦτε certam ac definitam significationem plane abjecit atque sicut ἄγε universe incitandi, monendi, rogandi formulae locum obtinet, quae modo cum imperativo modo cum prima pluralis persona conjunctivi jungitur[39]), ut Il. ξ, 128: Δεῦτ'

---

36) Vid. Aemil. Porti Lex. dor. s. v. δεῦτε.

37) Il. γ, 130. 390. Aeschyl. Eum. 1041. Soph. Oed. R. 1480. Arist. Eccles. 882.

38) Od. ζ, 307. Sapph. 65 in Bergk. Poet. l. gr. Dubitari potest de Sapph. 86: Δεῦρο δεῦτε, Μοῖσαι, χρύσιον λίποισαι, ubi Bergkius pro δεῦτε scripsit δηῦτε. Etsi non certo de hac re dijudicari posse puto, praesertim cum nihil nisi hic unus versus restet, nulla tamen mihi videtur esse causa, cur δεῦτε mutetur, quod aptissimum est et una cum δεῦρο significat aut: huc, huc venite aut adverbialiter: huc agedum. Callim. fragm. 86, 1. ed. Ernest. Mosch. 1, 102. Theocr. 8, 50. Etiam in Nov. Test., de quo paullo infra.

39) Il. χ, 450. η, 350. Od. β, 410. θ, 133. Hes. Op. 2. Semel

ἴομεν πολεμόνδε — —, sed nusquam cum altera singularis persona, quae quidem res haud parvi momenti est ad confirmandam illam δεῦτε formulae derivationem ex δεῦρ' ἴτε. Namque haec pluralis vis, etsi δεῦτε in formulam plane immobilem abierat, in sensu tamen aliquantulum vigebat.

Atque etiam cum ἄγε et ἄγετε conjunctum δεῦτε occurrit, qua duarum adhortandi formularum exaggeratione incitandi vis paullo augetur. Il. η, 350. Qua adhortandi vi cum jam δεῦρο vocabulum, exstincta ad locum quendam vocandi significatione, interdum usurpetur[40]), intelligitur, quomodo δεῦτε ex illis δεῦρο et ἴτε formulis confusum in adhortandi adverbium defluxerit.

Sunt vero nonnulli loci Alcmanis, Sapphus, Anacreontis, in quibus Buttmannus in Lexil. II, p. 231 aliam etiam vim δεῦτε formulae tribuendam esse judicavit, qua in re a vero eum aberrasse existimo. Esse enim dicit δεῦτε, quod in illis locis pro δηῦτε scribi jubet, incitantis, ut homines animum advertant, germanice „hört Leute vel seht doch!“ Sed recte jam Hartungius in libro de particulis I, p. 322. talem signi-

---

etiam apud Euripidem legitur in Med. 864, ubi Elmsleius δεῦρο scribendum censuit, quia nusquam apud atticos scriptores inveniatur: sed non recte, arbitror, traditam lectionem mutavit neque veri dissimile est, Euripidem δεῦτε formula apud Homerum saepius obvia usum esse. — Vide etiam Hedyli epigr. Jac. Anth. I, p. 235. Nonn. Dionys. 14, 434. 37, 552. 17, 170. Seriores scriptores illa formula interdum usi sunt. Plutarch. Coriol. 33, saepe in Nov. Test. legitur, tum propria vi „adeste huc,“ ut Matth. 22, 4, tum mera verbi vi „venite aut ite“, ut Matth. 4, 19. 22, 4. Marc. 1, 17. 6, 31. Joh. 4, 29. tum adhortandi vi, ut Matth. 21, 38. 25, 34. 28, 6. Marc. 12, 7. Luc. 20, 14. Joh. 21, 12. Apoc. 19, 17.

40) Δεῦρο vocula et sola, ut in Eurip. Bach. 341. Plat. Apol. 24.. C. et cum ἄγε aut ἴθι juncta, ut Od. θ, 145. 205 mere adhortantis est. Vid. Suid. Bud. comment. l. gr. p. 921. H. Steph. thes. gr. l.

ficationem ab illis locis abhorrere censuit. Ubique potius mutatio quaedam vel repetitio rei aut status prioris fingitur, ut in Anacr. 68. Bergk. Poet. lyr. gr. Μνᾶται δηὖτε φαλακρὸς Ἄλεξις. Alcman. 20: Ἔρος με δαὖτε Κύπριδος ἕκατι γλυκὺς κατείβων καρδίαν ἰαίνει. Sapph. 43: Ἔρος δηὖτέ με λυσιμελὴς δύνει γλυκύπικρον ἀμάχανον ὄρπετον. Ad audiendas tales res adhortatio ab ipsa lyrici carminis natura aliena esse, quin ridiculi aliquid habere mihi videtur. Ac similis ceterorum locorum[41]) ratio est. Idem αὖτε particulae usus in simili sententia exstat in Ibici fragm. 2 apud Bergk. non addito δέ vel δή, quo error nasci possit:

Ἔρος αὖτέ με κυανέοισιν ὑπὸ βλεφάροις τακέρ' ὄμμασι δερκόμενος
κηλήμασι παντοδαποῖς ἐς ἄπειρα δίκτυα Κύπριδι βάλλει.

Buttmanni vero de δηὖτε dubitatio, quam propter δέ particulam in nonnullis carminum initiis positam habet, depellitur, si non adversativam δέ particulam sed δή, ut facile patet, in illis exemplis inesse statuimus, quae cum αὖτε per crasin conjuncta sensui optime convenit.

Εἰπέ μοι.

Quamvis mirum obiter consideranti videatur, haec vocabula etiam formulae instar esse usurpata, usu tamen evidenter probatur. Neque apud Homerum neque apud lyricos poetas neque apud tragicos, quod sciam, εἰπέ μοι adverbii modo dictum invenitur. In comoedia vero et in dialogo Platonico usus frequentia ac vulgaris sermonis facilitate attritum tenuiorem naturam sumsit obtorpuitque in stabilem compellandi et rogandi formulam, quae etiamsi ad plures referebatur, immutatam tamen formam servavit. Neque ta-

---

41) Sapph. 46 apud Berg. Anacr. 13. 14. 18. 47. ibid.

men in nonnullis locis facile est ad certe dijudicandum, utrum εἰπέ μοι in constantis formulae modum an propria verbi vi usurpatum sit. Quod quidem accidit, si aut ad unum dictum invenitur, cui alius quis additus est, ut in Plat. Protag. 311. D. εἰπέ μοι, ὦ Σώκρατές τε καὶ Ἱππόκρατες, ὡς τίνι ὄντι τῷ Πρωταγόρᾳ ἐν νῷ ἔχετε χρήματα τελεῖν[42]; aut ad unum, cui plures adjunguntur, ut in Plat. Euthyd. 283. B. In utroque hoc dicendi genere minus bene existimaveris, εἰπέ μοι formulae vim tenere, sed potius integra verbi vi ad proximum tantum substantivum singularis numeri referendum est, etsi ambo nomina particulis τε-καὶ arctius conjuncta sunt.

At vero cum talia reperiuntur verba: Dem. Phil. 1, 10: ἢ βούλεσθε, εἰπέ μοι, τί τοῦτ᾽ ἀπειλεῖ τοὔπος, ἄνδρες δημόται, τοῖς Ἀχαρνικοῖσιν ἡμῖν[44]; magno profecto artificio malisque argutiis opus est, ut εἰπέ μοι non formulam esse demonstretur sed ad unum e multis pertinere[45]).

Immo vero sine dubio concedendum est εἰπέ μοι plenam vim ac proprium vigorem usu amisisse atque orationi leviter insertum et ad plures quoque dictum in adhortandi ad respondendum vel animos tantummodo attendendi for-

---

42) Vid. Stallbaum ad h. l.

43) Vid. Bremi. ad h. l. Dem. Chersonn. 24. Aristocr. 106, ubi vid. Weberi commentar.

44) Vid. Elmsl. ad h. v. Acharn. 319. Aves 366. Pac. 383. In Vesp. 403 chorus se ipse alloquitur, unde existimaverit quispiam, unumquemque verba εἰπέ μοι, τί μέλλομεν κινεῖν ἐκείνην τὴν χολήν — ad ceteros singulos fecisse. Attamen εἰπέ μοι verbis quae sequuntur ἐντέτατε, θεῖτε, βοᾶτε cet. ex aequo positum est, qua de causa, cum jam aliis exemplis formulae usus comprobetur, etiam hic eum agnoscere quam spinosa explicatione repudiare malim.

45) Krueger. Att. Synt. 54, 4, 3.

mulam abiisse[46]), aut interdum nihil aliud valere, quam ut augendae orationis gravitati et vigori inserviat.

Ἔχε.

Verbum ἔχε quamquam in formulam transgressum plenam formam servavit, significationem tamen variam ac satis obscuram habet, quare etiam variae de ea sententiae prolatae sunt. Ac tres maxime sunt significationes, quarum alii alias probant. Suidas plures affert: ἄγε δή ἢ ὅρα δή ἢ πρόςεχε δή ἤ τι τοιοῦτο. Jam recentiorum Heindorfius et Kruegerus[47]) solam inhibendi et subsistendi vim ἔχε formulae tribuunt eamque cum locutionibus ἔχ' ἀτρέμας, ἔχ' ἥσυχος, aliis comparant. Astius contra exhortandi formulam idemque quod φέρε eam esse dicit. Alia denique explicandi ratione G. Hermannus ad Viger. p. 753 usus est, quam Stallbaumius[48]) comprobavit, significare enim proprie: tene igitur hoc, de quo locuti sumus, tum fere: warte nun.

Verum ad inveniendam certam ac veram formulae vim accuratissima usus consideratione opus est eoque magis, quod ex ἔχειν verbi natura per se spectata varias illas fortasse significationes quispiam jure quodam deducere possit.

Ἔχε formula apud Homerum nondum obvia Aristophanes et Plato primum usi sunt. Ac proficiscor ab iis loquendi formis, quibus posterioris usus fundamentum et initium contineri mihi videtur. Ex quo genere sunt Eurip. Iphig. Taur. 1159 ἔχ' αὐτοῦ πόδα (halte den Fuss da an). Demosth. 45,

---

46) Vid. Schaefer. Apparat. crit. et exeg. ad Demosth. I. ad p. 16, 20. II. ad p. 441, 16. Naegelsb. adnot. ad Iliad. Nov. excurs. 3.

47) Adnot. ad Plat. Gorg. p. 460. A. Krueger. Att. Synt. §. 52, 2, 2.

48) Adnot. ad Plat. Gorg. p. 460. A.

26 ἔχ' αὐτοῦ (halt da an). Quod vero Kruegerus et Heindorfius similes loquendi formas ἔχ' ἠρέμα, ἔχ' ἀτρέμας, ἔχ' ἡσυχῇ, alias esse contendunt, non recte sic statuunt, quia hac adjectivi aut adverbii accessione longe alia ἔχε vocabulo atque si absolute ponitur notio tribuitur. Verum subsistendi vim non omnibus locis aptum esse cum ex aliis exemplis tum ex hoc clare perspici potest, Plat. Jon. p. 535 B. ubi Joni dicenti Παντάπασί γε Socrates respondet Ἔχε δή μοι τόδε εἰπέ, ὦ Ἴων — —, cui loco eximie respondet Cratyl. 385 C. φέρε δή μοι τόδε εἰπέ — —. Eodem modo Cratyl. 435. E. ἔχε δή ἴδωμεν, τίς ποτε ἂν εἴη ὁ τρόπος — —, cui respondet Cratyl. 424 B. φέρε δή ἴδωμεν, πότερον ἄρα — —. In his verbis quo modo quis ἔχε δή formulam significare „wolan denn" negare possit, non intelligo[49]); artificiose autem ei agendum esset, qui huc subsistendi vim adhiberet. Quodsi haec explicatio non ubique convenit, quae tandem vera habenda erit? Jam equidem non omnino inhibendi et retinendi vim nego, sed principalem potius ἔχε formulae duco. Nam ex locali illo quem modo memoravi usu translata nascitur dicendi ratio, quae in Plat. Gorg. 490 B. occurrit: ἔχε δὴ αὐτοῦ· τί ποτε αὖ νῦν λέγεις; ubi inhibendi ἔχε verbi vis manifesta est. Sed facile hac ipsa vocula animus alicujus ad rem, de qua quis disputaturus est, attenditur. Quo factum est, ut definiti retinendi vis paullatim deminuta universae significationi animum attendendi vel vero adhortandi locum dederit. Ex hac sua natura ad duas partes orationis quodammodo pertinet, alteram quidem concludens, demonstrans alteram quae sequitur et adhortans, unde fit, ut modo „nun gut so, gut denn" modo „nun denn, wolan, sag an" significet.

49) Hermannus ad Viger. l. l. hanc significationem ἔχε formulae improbat, nullam tamen quae omnibus locis conveniat afferens.

Verum tamen harum significationum facile altera alteri se miscet praevaletque paene ubique monendi, ut quis animum attendat significatio.

Sequitur ἔχε δή formulam ut ἄγε, φέρε δή formulas aut imperativus aut conjunctivus adhortativus aut interrogatio, omissa semper conjunctione, qua quidem similitudine cum ἄγε, φέρε, ἴθι, aliis adhortandi formulis magis confirmatur, ἔχε δή prorsus in adhortandi formulam abiisse. — Occurrunt tamen vero loci quibus utrum retinendi an adhortandi vis conveniat, dubitari potest, ut Plat. Prot. 349 D. ἔχεδή, ἔφην ἐγώ· ἄξιον γάρ τοι ἐπισκέψασθαι ὅ λέγεις. πότερον etc. quae aut sic verti possunt: subsiste, equidem dixi, dignum est enim, quod consideretur id quod dicis; utrum etc. aut: Agedum, equidem dixi — dignum est enim quod consideretur id quod dicis — utrum etc. Accuratius locum perpendenti mihi adhortandi vis praeferenda esse videtur. Manifestior haec est in Plat. Alcib. 129 B. Ἔχε δή πρὸς Διός, τῷ διαλέγει σὺ νύν; ubi formula hoc valet: agedum (dic). Arist. Pac. 1193 ἔχ' ἀποκάθαιρε τάς τραπέζας ταυτηί[50]).

Sic igitur cum ἔχε verbum plane factum sit formula, ad plures tamen haec non dicta videtur neque ἔχετε usquam sic ut ἄγετε, formulae vi usurpatum inveni.

Ἠνίδε. Ἤν ἰδού.

De ἠνίδε formulae origine a nonnullis dubitatum est, partim ex ἤν ἴδε, partim ex ἠνὶ δέ, partim ex ἔνιδε eam ortam esse statuentibus. Ad quam rem recte dijudicandam usum accuratius considerare opus est, unde ἤν ἴδε principalem formam fuisse apparebit. Ac primum quaeritur, num ἠνὶ δέ,

50) Cfr. Plat. Alcib. I, 109. B. Gorg. 460. A. Theaet. 186. B. Reip. I, 353. B. Legg. X, 895. D. Arist. Vesp. 1135. Equ. 490. 493. Praeterea qui hac formula usus sit, nullum inveni.

cui cum ἦν ἴδε nihil commune est, revera reperiatur. Atque hac in re multum erratum est, illo saepe scripto, ubi hoc scribi debebat. Sic Suidas Philippi epigramma laudans[51]: ἠνὶ δὲ συμβλεύει κηρότροφα δῶρα μελισσῶν etc. contra Jacobs. Anth. II 204 rectius scripsit ἠνίδε. Tum Aemil. Portus in Lex. dor.[52] s. v. ἠνί laudat Theocr. Id. 1, 149 ἠνὶ δέ τοι τὸ δέπας, ejusdem 3, 10, ubi alii ἠνίδε rectius scripserunt. Neque enim δέ particulae vis aut necessaria aut usquam apta est neque ἠνί vocula ullo certo testimonio nititur: nam uno loco, in quo olim ἠνί sine δέ legebatur, in Arist. Plut. 75, nunc recte ἦν restitutum est. Quam ob rem ubi ἠνί voculae δέ adjunctum esse putaverunt, ἴδε potius ἦν particulae additum esse, probabile videtur; quod etiam simillima ἦν ἰδοὺ formula satis confirmatur[53].

Verum etiam altera sententia veri dissimillima est, qua ἠνίδε ex ἔνιδε imperativo verbi ἐνείδω ortum esse dicitur. Ac ratione quidem ad hoc temere ficta utuntur, ε literam in η productam, ἠνί vero et ἦν rursus deminutione imperativi ἤνιδε orta esse[54]. Qua explicandi ratione nihil est quaesitius. Immo cum ἐνίδε semel tantum occurrat, hoc ex illo ἠνίδε correptum esse existimo.

Itaque ἦν ἴδε unam ac veram formam principio fuisse apparet, duo quidem vi similia vocabula juxta posita et exaggerata, quae evanescente nativo quasi robore in unam formulam coaluerunt. Neque vero, separesne illa an con-

---

51) ἠνί, ἀντὶ τοῦ ἰδοῦ, δωρικῶς.

52) ἠνί pro communi ἰδού, ecce.

53) Vid. Gregor. Cor. de dial. p. 132 ibique Koenii adn. Hartung. Partikell. I, p. 273 suspicatur, ἠνίδε ex ἠνί et suffixo δε, quod idem in ὅδε, τοιόσδε, aliis occurrat, natum esse. Cui sententiae ἦν ἰδού formulae similitudo vehementer obstat.

54) Buttm. ampl. gramm. §. 115. a. q. Gessner. ad Orph. de lapid. p. 316.

jungas, magni interest; quamquam veri simile mihi videtur, ἴδε voculam, tenuem factam ac deminutam ἦν vocabulo se arctius applicasse, cum contra ἰδού plenius quidem ac gravius applicatione non eguerit.

Huc etiam illud pertinet, utrum ἠνίδε paroxytonon an proparoxytonon sit. Doricum ἴδε, quod ab attico ἰδέ distinguunt, in penultima accentum habebat, quem etiam in conjunctis vocabulis servatum esse puto. Nam etiamsi uterque accentus testimoniis nititur neque certe de hac re dijudicari potest, tamen cum interjectionis ἦν magis quam verbi ἴδε vim compositione attenuatam esse probabile sit, huic quam illi accentum tribui malim.

Jam ἠνίδε formulae usum si persequimur. primum transitivam verbi vim in ea vigere animadvertimus, ut ἠνίδε πυρκαϊῆς ἄνισον φλόγα[56]). Huc etiam is dicendi usus pertinet, quo pro accusativo pronomen relativum aut adverbium usurpatur, ut in Antipatr. epigr. Jac. Anth. II, p. 102: ἠνίδ' ὅσον Διόνυσον ἔχει σέλας. ibid. III, p. 213: ἠνίδε πῶς — —. Eodem modo Nonnus Dionys. 20, 62. 42, 301.

Tum vero ἠνίδε absolute usurpatur, adverbio magis quam verbi locum tenens, neque semper ad unum, sed etiam ad plures dictum et idem quod ecce valens. Est autem aut monentis, ut quis videat quod adest vel fit, velut Jac. Anth. III, p. 183: ἠνίδε καὶ δὲ γελᾷ Γλαύκη — —[57]). Jac. A. I, p. 221 Callim. epigr.: ἠνίδε κεῖνοί σοι πᾶν ἐρέουσιν ἔπος. aut

---

55) Aem. Port. in Lex. dor. habet ἠνίδε. Gregor. Cor. l. l. ἤνιδε. Jacobs. in nonnullis epigrammatis ἠνίδε, plerumque ἤνιδε. Valcken. ad Theocr. Id. 1, 148 ἠνίδε. Bergk. Poet. l. gr. p. 446 in Plat. epigr. ἠνίδε. Fritzsch. in Theocr. ἠνίδε. Koechly. in Nonni Dionys. ἠνίδε.

56) Antiphil. epigr. in Jac. Anth. II, p. 164. cf. Addaei ep. ibid. II, p. 225.

57) Jac. Anth. III, p. 76. 155. IV, p. 171. II, p. 204. 259. I, p. 13. Theocr. 3, 10. 2, 38. 5, 23. 27, 53.

offerentis simulque demonstrantis (da hier, da), ut Theocr. 1, 149: ἠνίδε τοι τὸ δέπας: θᾶσαι, φίλος, ὡς καλὸν ὄσδει.[58]) denique ad prorsus universam ac tenuem exclamandi et animum ad aliquid attendendi vim deflexit et necopinati aliquid ac novi indicans orationi vigorem tribuit. Jac. Anth. I p. 105.

Similiter formula ἤν ἰδού usurpata est, quae hac maxime re ab ἠνίδε, quod doricae dialecti et alexandrinorum poetarum est, differt, quod fere solum apud atticos poetas legitur. Pratinas tamen ea usus est 1, 17 apud Bergk.

ἤν ἰδοὺ ἄδε σοι δέξια καὶ ποδὸς διαῤῥιφά — —

Ceterum ne attici quidem scriptores ἦν ἰδού formulam saepe usurpaverunt[59]). Aristophanes praeter vulgarem significationem aliam etiam huic formulae tribuit eamque similem, qua ἰδού ab eo saepius dicitur, plane concedentis enim est et prompti ad faciendum id quod quis praecipit. Arist. Ran. 1390. Dion.: λάβεσθε τοίνυν αὖθις. Eur. ἦν ἰδού.

Plerumque tamen simplex forma ἰδού et ἰδέ reperitur, ad quas jam transeo.

Ἴδε et Ἰδέ.

Ἴδε apud Homerum integram verbi naturam tenet necdum particulae vim induit. Attici ἰδού formula pro ἴδε utuntur, teste Thoma Magistro[60]). Verumtamen exstant nonnulli qui excipiendi sunt loci[61]), ut Plat. Theaet. 192. E. ἰδὲ δή ἐάν τι μᾶλλον νῦν ἐπίσπῃ. De accentu verbi ἰδε haec est discrepantia, quod atticae dialecti ἰδέ, ceterarum ἴδε pro-

---

58) Vid. Valcken. ad h. l.

59) Eurip. Herc. fur. 867. Arist. Pac. 326. Lucian. Anach. 1. De mort. 10, 10. Piscat. 51.

60) Eclog. voc. attic. p. 188, 9. ἰδοῦ (sic) Ἀττικοὶ λέγουσιν, οὐκ, ἴδε.

61) Plat. Phil. 12. C. 48. C. Lucian. Dialog. marit. 3. Deor. dial. 17, 2. Tragoedopod. 288.

prium est[62]). A Sophocle ἴδε proprio quodam modo usurpatum est; bis enim in carmine chorico occurrit, in quo cum dorica loquendi ratio usitata sit, ἴδε formulam maxime doricam consulto usurpatum esse arbitror[63]). Est autem hic ἴδε vocula jam valde attenuata eoque processit immobilitatis, ut vel ad complures dicta non flectatur ac plane en adverbii locum obtineat. Soph. Trach. 821. ἴδ' οἷον, ὦ παῖδες, προσέμιξεν ἄφαρ τοὔπος etc.

Posteriores poetae saepius ἴδε formula utuntur[64]) eamque etiam absolute mediae orationi inserunt, ut Theocr. Id. 6, 9 πάλιν ἅδ' ἴδε τὰν κύνα βάλλει — —. Latius patet ejus usus in seriore lingua graeca, praecipue in Novo Testamento, in quo ἴδε et ἰδού saepe promiscue occurrunt. Atque hic subtiliora quaedam significationis discrimina distinguenda sunt; nam modo adhortatur ἴδε, ut quis aliquid videat[65]), modo demonstrat rem vel hominem, qui adest (da sieh, da ist)[66]), modo universe monet, ut quis animum ad aliquid attendat ejusque rationem habeat[67]); postremo omni propria vi amissa orationi alacritatem quandam addit[68]), ut Joh. 11, 3 Κύριε, ἴδε, ὅν φιλεῖς ἀσθενεῖ. Hinc sequitur, ut et pleonastice usurpatam ἴδε formulam et mere adhortantis esse ut temere fictum negem. Quamquam hoc verum est, attenuationem et exstinctionem nativae verbi significationis perlonge processisse, id quod etiam in eo cernitur, quod saepe in sermone, qui ad

---

62) Vid. Arcad. p. 148, 26. Göttling. Accentl. p. 52.

63) Soph. Oed. Col. 1462. Vid. Bremi ad Dem. Phil. 1, 10. Similiter res se habet in Aeschyl. Suppl. 349.

64) Theocr. 5, 37. 5, 142. Leonid. Alex. epigr. Jac. A. II, p. 182. II, p. 37.

65) Marc. 2, 24. 11, 21. Matth. 25, 20. Joh. 11, 36.

66) Joh. 19, 5. 14. 12, 19. 18, 21. 19, 4.

67) Marc. 15, 4. Joh. 5, 14. Gal. 5, 2.

68) Joh. 3, 26. 16, 29.

plures fit reperitur[69]), ut Matth. 26, 65 ἴδε νῦν ἠκούσατε τὴν βλασφημίαν αὐτοῦ.

Ἰδού.

Hic in particulam plane mutatus imperativus, qui a vero imperativo ἰδοῦ accentu acuto distinguitur[70]), apud atticos scriptores plures torpescendi gradus percurrit. Jam Aeschylus ἰδοὺ aliquoties in formulae modum usus est: in Agam. 1125 Cassandra Agamemnonem a Clytaemnestra in balneo trucidatum mente cernens clamat ἰδού ἰδού, tanquam praesentem rem demonstrans. Agam. 1269 ἰδού absolute dictum est sequente nominativo. Paullo latius ejus vis apud Sophoclem patet, verbi notione infirma ac tenui facta. Deflexit enim ab incitandi, ut quis oculos vel animum ad aliquid advertat significatione[71]) ad offerendi praebendique, Soph. Phil. 765 ἰδοὺ δέχου παῖ.[72]) atque etiam ad concedendi vel morigerandi vim[73], Soph. Trach. 1184 Heracli interrogando jubenti οὐ θᾶσσον οἴσεις μηδ' ἀπιστήσεις ἐμοί; Hyllus respondet ἰδοὺ προτείνω —. Duae hae significationes rarissime apud Sophoclem, paullo saepius apud Euripidem, frequenter apud Aristophanem occurrunt, et hic quidem tenuissimam ac maxime indefinitam vim ἰδού formulae tribuit, ut vel affirmantis ac promtum ad aliquid se praebentis sit. Postremo Aristophanes voce ἰδού etiam ut cavillandi aut irridendi formula usus est,

---

69) Marc. 16, 6. Gal. 5, 2. Joh. 11, 36. 19, 4. 5. 12, 19. Matth. 26, 65.

70) Vid. Arcad. p. 183, 25.

71) Soph. Oed. C. 1479. Trach. 219. 1079. El. 1410. Aj. 870. Eurip. Andr. 411. Her. fur. 1094.

72) Eurip. Bacch. 928. Hec. 563. Arist. Equ. 120. 906. 972. Thesm. 255. Acharn. 434. 470.

73) Eurip. Bacch. 1264. Arist. Thesm. 25. Pac. 958. 962. Equ. 157. 724. 1161. Ran. 200. 201. Eccl. 132.

ut Equ. 343. ὁτιὴ λέγειν οἷός τε κἀγώ, quae verba cavillans Paphlago respondet ἰδοὺ λέγειν, videlicet sive scilicet aptus ad dicendum[74]. Interdum admirationem cum cavillatione mixtam indicat ut Arist. Ran. 1204 ubi Aeschylo dicenti δείξω δ' αὐτίκα Euripides respondet ἰδοὺ σὺ δείξεις[75]. Hic autem usus comici tantum sermonis proprius est, apud posteriores epigrammatum poetas ἰδού minus attenuatam vim habet, interdum orationi interjectum, ut in Meleagr. epigr. Jac. Anth. I p. 29. δακρύει φιλέραστον ἰδοὺ ῥόδον——[76].

Etiam prosae orationis scriptores ἰδού formula, sed non crebro usi sunt[77], atque Lucianus quidem praeter illas quas memoravi significationes proprio quodam modo, ut vel adhortantis esse videatur. Ut locum Hermotim. 44 ἰδοὺ δὴ καὶ ἑτέρως τὸ αὐτὸ ἐπισκόπησον omittam, quem sic intelligere possis: agedum etiam alio modo idem considera, sed etiam hoc sane modo; vide dum et alio etc. alius locus est, ubi ἰδού in universam adhortandi vim transiisse videtur. Jupp. trag. 6 ἰδοὺ δὴ ἐς ἐκκλησίαν συνέλθετε, agedum in contionem convenite. Quae explicatio si recte se habet, extremus hic est attenuationis et adverbiascendi gradus, cum de definita monendi, ut quis videat attendatve vi infinita ad quamlibet rem adhortandi significatio relicta sit.

Persaepe autem ac peculiari vi ἰδού formula in Novo Testamento reperitur. Primum rem aut hominem praesentem demonstrat, Joh. 19, 26 ἰδοὺ ἡ μήτηρ σου[78]. Tum rem ne-

---

74) Equ. 85. 702. Nub. 818. 872. Pac. 198.

75) Eccles. 133.

76) Cf. Meleagr. ep. in Jac. Anth. I p. 13. 19. 20.

77) Plat. Reip. IV. 440. A. ubi ἰδού offerentis est et ad plurale verbum relatum. Lucian Deor. dial. 20, 10. De mort. 10, 4. Katapl. 6. Piscat. 47. 49.

78) Matth. 7, 4. 12, 47. 49, 4. Luc. 22, 38. 19, 20. Act. apost. 8, 30. 9, 10. Huc accedit paullo mutata vis monendi ad audiendum aliquid et attendendum, Matth. 22, 4.

copinatam, insolitam, singularem, miram indicat, sive jam facta est, ut Matth. 3, 16 καὶ ἰδοὺ ἀνεῴχθησαν αὐτῷ οἱ οὐρανοί sive fit[80]), ut Matth. 10, 16 ἰδοὺ ἐγὼ ἀποστέλλω ὑμᾶς ὡς πρόβατα ἐν μέσῳ λύκων. sive futura praedicitur, ut Luc. 13, 35 ἰδοὺ ἀφίεται ὑμῖν ὁ οἶκος ὑμῶν. Interdum etiam vi paene omni exstincta nonnisi ad incitandam orationem vel ad rem aliquam majore pondere narrandam adhibita est[82]).

Sic cum in adverbii naturam plane abierit, frequenter etiam plurali verbo conjuncta ἰδοὺ vocula invenitur, vel certe ad plures dicta, etsi verbum non sequitur, Matth. 10, 16 ἰδοὺ ἐγὼ ἀποστέλλω ὑμᾶς — —[83]). — Plane eodem modo Francogallorum vocula voilà ita attrita est et attenuata, ut a certa verbi vi in levissimae ad attendendum monendi particulae naturum se verterit.

Ἴθι. Ἴτε.

Hic imperativus jam apud Homerum plane formulae naturam induit, etsi non ita frequenter sic legitur. Gradus autem adverbiali usui antecedens tali fere loquendi ratione continetur: Il. ψ, 646 ἀλλ' ἴθι καὶ σὸν ἑταῖρον ἀέθλοισι κτερέϊζε. Nam hic certa verbi vis adhuc viget, καὶ particula interjecta, quae si deesset, ἴθι particulae adhortandi vis sententiae optime conveniret. Sic autem ἴθι localiter cogitatum neque cum adhortandi formula confundendum est. Sed etiam nulla interjecta conjunctione ἴθι imperativum verbum sequitur necdum tamen adhortandi formula est, ut Il. α, 32 ἀλλ' ἴθι, μή μ' ἐρέθιζε.

79) Matth. 1, 20. 2, 1. 3, 17. 8, 24. 29. 32. 34. 9, 18. 12, 46. 27, 51. 2 Cor. 6, 17. 7, 11.
80) Matth. 20, 18.
81) Matth. 1, 23. 21, 5. 28, 20. Luc. 23, 29. 11, 41. Hebr. 8, 8.
82) Matth. 9, 2. 3. 18. 20. 32. Luc. 13, 7.
83) Matth. 9, 16. 22, 4. 24, 25. 28, 20. Luc. 13, 35. Joh. 16, 32.

Jam vero ubi ἴθι arctissime ad sequentem imperativum referebatur, propriam suam ac definitam ad eundum adhortandi vim paullatim mittebat, ita ut certi localis motus notio exstingueretur et in infinitam et sensu magis vacuam ad aliquidpiam adhortandi significationem mutaretur. Atque ita Homerus ἴθι voce primum cum altera persona singularis conjuncta usus est[84]), Il. κ, 53: ἀλλ' ἴθι νῦν Αἴαντα καὶ Ἰδομενῆα κάλεσσον. Proprio quidem modo ἴθι in Iliade βάσκε verbo adjunctum est, sequente plerumque alio imperativo sine conjunctione, quasi βάσκ' ἴθι adhortandi formula esset; hanc tamen sententiam refellit Il. β, 8 βάσκ' ἴθι, οὖλε Ὄνειρε, θοὰς ἐπὶ νῆας Ἀχαιῶν et Il. ω, 336 unde apparet, in Il. λ, 186 et similibus locis βάσκ' ἴθι et sequentem imperativum per asyndeton dictum esse. Ἴθι vero in his locis adhortandi particulam esse manifestum est improbandumque, quod H. Stephanus, Gellium 13, 24, Eustathium, alios secutus in Thesauro βάσκ' ἴθι dicit ἐκ τοῦ παραλλήλου posita, ut idem valeant quod proficiscere, vade. Immo non majorem vim hic in ἴθι vocula arcte βάσκε verbo applicata inesse existimo, quam adhortandi, ita ut βάσκ' ἴθι significet: Vade age. Deinde alia atque altera verbi persona ἴθι formulam sequitur, sed ea quidem nondum apud Homerum. Aristoph. Ran. 871 ἴθι νῦν λιβανωτὸν δεῦρό τις καὶ πῦρ δότω. Hic adhortandi formulae vis paullo magis ad infinitum et universum progressa est, quoniam, quamquam non ad unum sermo fit, tamen secunda persona ἴθι ad adhortationem indi-

84) Il. 8, 432. κ, 175. λ, 611. τ, 347. Od. χ, 157. Aesch. Agam. 1070. Soph. Aj. 1003. Phil. 480. 750. Oed. R. 46, 47. 1468. Trach. 1070. Eur. Androm. 135. Arist. Ran. 891. Eccles. 1059. Thesm. 256. Nub. 237. Theocr. 1, 127. Meleagr. epigr. Iac. Anth. I p. 20. Herod. 3, 72. Xen. Memor. 3, 3, 3. Cyr. 3, 1, 33. Plat. Soph. 239. B. Phileb. 29. A. Apol. 24. D. Gorg. 449. D. 452. D. 489. E. Phaedr. 228. E. 262. D. Sympos. 199. C. Dionys. Hal. Antiqu. 6, 59. Vid. Suidam.

candam adhibita est. Prima persona pluralis a Platone aliisque[85]) post ἴθι interdum usurpata est, dum loquens, etsi unus compellatur, se ipse alteri adjungit. Eadem ratio est hebraici imperativi לְכָה, i, qui in adhortandi formulam abiit, Gen. 31, 44. לְכָה נִכְרְתָה age foedus icamus.

Sunt etiam pauca exempla, quibus ἴθι ad plures dictum esse confirmatur, quod quidem Buttmannum in ampl. gramm. II p. 343 fugit. Arist. Pac. 1207. Ran. 1378. Sed plerumque, ubi ad plures sermo fit, ἴτε legitur, quod similiter atque ἄγετε quamvis forma mobilitatem nondum plane amiserit, in eandem tamen adhortandi particulae vim atque ἴθι deflexit[86]).

Τῆ.

Veteres de hac vocula in eo consentiunt, quod eam imperativum esse verbi inusitati τάειν, ex τάε contractum, atque significare λάβε, δέξαι tradunt[87]). Longe alia eorum sententia est, qui τῇ scribendum et pronomen potius quam verbum esse statuunt[88]). Atque est sane aliquid, cur sic statuant. Etenim jam ab Homero nusquam cum accusativo conjunctum est simileque videatur illi locali et modali τῇ dativo, quo Homerus saepius utitur. Attamen multum inter haec duo literis quidem congruentia vocabula interesse intelliges, si locos accuratius consideraveris. Ubivis enim τῆ, ex imperativo ortum, tenendi vel capiendi notionem habet, alterum vero

---

85) Plat. Min. 629. B., ubi vid. Boeckh. Soph. 224. C. Prot. 332. D. Xen. Mem. 1, 6, 4. 3, 4, 7. Lucian. De parasit. 3.

86) Soph. Oed. R. 1413. Oed. C. 106. 107. 248. Aj. 843 non necesse est ἴτε pro adhortandi particula haberi, sed propria verbi vi per asyndeton dictum esse potest. Sic etiam ἴθι Aj. 988. Plat. Legg. VI. 765. A. VII. 797. D. Theocr. 1, 127. 131.

87) Barini Camert. eclog. Hesych. Suid.: τῆ· ταύτῃ ἢ δέξαι, λάβε. Etymol. M. habet: τούτου (τοῦ τάω) προστακτικὸν τάε καὶ κράσει δωρικῆ, τῆ.

88) Blomfield. ad Callim. p. 339.

τῆ locum aut modum demonstrat, illud in Homero absolute dictum occurrit, hoc eodem modo, quo cetera ex pronominibus orta similia adverbia, usurpatur. Alia ut mittam, hic unus locus Il. ψ, 618: τῆ νῦν καί σοι τοῦτο, γέρον, κειμήλιον ἔστω, claro documento est, τῆ esse imperativum, qui hoc loco cum sequenti imperativo καί particula conjunctus est.

Ducenda igitur est τῆ vocula a radice τάω, unde τείνειν natum[89]). Sic cum proprie „tende (manum), cape" significaret, ἄγρει voculae simillima, non tam plane quidem quam ἄγρει porrigendi vim amisit, sed paullo attenuatam, ut sit nostra offerendi vocula „da", retinuit[90]). Aliquoties τῆ formulae, ut ἄγρει, ἄγε, aliis particulae δή, νῦν, δέ adjunctae sunt, velut Il. ξ, 219: τῆ νῦν, τοῦτον ἵμαντα τεῷ ἐγκάτθεο κόλπῳ.

Praeter Homerum τῆ etiam in Cratini fragmento invenitur[91]): τῆ νῦν, τόδε πῖθι λαβὼν ἤδη καὶ τοὔνομα μ᾽εὐθὺς ἐρώτα, quo tamen loco Homeri verba in Odyss. ι, 347 poetam imitatum esse apparet. Atque vero etiam Eupolis τῆ vocula usus esse videtur in fragmento, quod Meinekius in Fragm. com. gr. II 1 p. 559 sic emendatum exhibet: τῆ νῦν, καταδέχεσθε τοὺς φακούς[92]). Quae lectio si vera est, τῆ hoc loco vel ad plures pertinet.

Sed etiam pluralis verbi τῆ forma a Sophrone usurpata est teste scholiasta ad Arist. Acharn. 204[94]); neque tamen est,

89) Buttm. Lexil. I, 164. Lobeck. Rhemat. p. 8. 28. 130. Doederl. Hom. Glossar. 205.

90) Il. ω, 287. Od. ε, 346. θ, 477. ι, 347. κ, 287.

91) Apud Athen. X, p. 446. B. vid. Bergk. Commentat. de rel. com. a. a. p. 158.

92) Vid. Bergk. l. l. Herodian. Cram. Anecd. III, p. 253. Hermanni p. 309.

93) ἐχρήσατο δὲ τῷ πληθυντικῷ ὁ Σώφρων εἰπών· τῆτέ τοι κορῶναί εἰσιν. Apud Suid. idem locus sic exstat: τῆ δέ τοι· κορῶναί εἰσιν, ubi Hemsterhus. legendum putavit: τῆτε, τᾷ κορώνᾳ εἰσίν, tamquam ad coronistas verba dicta sint. Sed et incerta est loci tam di-

cur cum Buttmanno ampl. gramm. § 114 τῆτε formulam quotidianae vitae propriam ac vitium quoddam vulgaris sermonis esse statuamus; immo τῆ eodem modo, quo ἄγρει particula vel etiam facilius, quia verbi naturam minus exuerat, in pluralem formam interdum transire poterat. Occurrit aliquoties τῆ etiam apud posteriores epigrammatum poetas ac primum non alio quam illo homerico modo dictum. Callim. Jac. Anth. I p. 214: ἢν δέ τις εἴπῃ· τῆ, τόδε βέβληται θήριον οὐκ ἔλαβε — — et ejusdem poetae in Anth. I p. 216: τῆ, κέρας τοι δίδωμι καὶ φαρέτρην. quibus in locis a proba explicandi ratione aberret, si quis τῆ ad sequens substantivum pertinere statuat. At vero cum accusativo conjunctam esse τῆ formulam haud negaveris in epigr. Leonid. Tarent. Jac. Anth. I. p. 161: καὶ λεγέτω· τῆ τοῦθ', Ἡρακλέες· ἄλλο το τοῦτο, Ἑρμᾶ. Quo exemplo magis etiam confirmatur, τῆ voculam a verbo ductam esse. Cujus vis transitiva etsi paene omnis ex illa τῆ formula usu abierat, tamen quantulacunque in ea latebat, unde recentiorum poetarum alicui in animum potuit venire, artificiose accusativum ei adjungere. Cernitur autem in hoc usu singulare illud ac memorabile, quod vocabulis quibusdam, quae obriguerunt et in immutabiles formulas abierunt, postea rursus doctorum poetarum arbitrio nimiaque arte antiqua ac propria vis tribuitur.

Φέρε. Φέρετε.

Φέρε formula, aliis quidem rebus ἄγε adhortandi particulae simillima, hoc tamen ab ea differt, quod apud Homerum verbi tantum necdum adverbii partes obtinet, quas quidem qua ratione susceperit, satis clare intelligere licet. Etenim Herodotus non φέρε solum, sed etiam plurali φέρετε

---

scerpti sententia neque causam video, cur a verbis scholiastae et Suidae recedamus. Suidae autem verba τῆ δέ τοι corrigendum esse in τῆτέ τοι, ipsius verba quae praemisit docent.

forma, utraque quidem adhortandi vi, usus est[94]), 4, 127 φέρετε τούτους ἀνευρόντες συγχέειν πειρᾶσθε αὐτούς 4, 115 φέρετε ἐξανάστωμεν ἐκ τῆς γῆς τῆσδε. Plura autem hujus φέρετε formulae exempla neque in Herodoto neque alibi inveni, sed potius inde ab Herodoto φέρε plane obriguit. Atque una cum hac vivae et mobilis formae jactura etiam propria φέρε verbi significatio comminuta ac mutata est. Nam cum proprie valeret affer, praebe, paullatim, quia omisso accusativo ad activum tanquam ad objectum referebatur, definitam afferendi praebendique notionem exuere debebat, non nisi universam ipsius imperativi vim retinens, hoc est, infinitam adhortandi ad agendum aliquid naturam subiens[95]). Quo plane eodem modo latinum cedo vocabulum ex concedendi vi in generalem adhortandi notionem defluxit.

Jam variis modis φέρε formula cum sequenti verbo conjuncta est. Primo loco eam secunda persona singularis sequitur, qua in re primus ac simplicissimus adverbiascendi gradus versatur[96]). Soph. Electr. 376 φέρ' εἰπὲ δὴ τὸ δεινὸν proprie est: praebe mihi, dic gravem rem, unde infinita vis nascitur: age dic etc.

Similis huic usus est, si φέρε ad unum quidem dicitur, nullo tamen sequente verbo, sed toto interrogandi enunciato[97]),

94) Haud accurate Zeunius ad Viger. p. 215. φέρετε nunquam pro formula usurpatum esse dicit.

95) Vid. Etymol. M. s. v. βάλε.

96) Aeschyl. Prom. 294. Soph. Ant. 534. Oed. R. 390. 536. 1142. El. 310. Trach. 890. Phil. 433. Etiam cum altera persona conjunctivi φέρε conjunctum est in Phil. 300. Eurip. Jon. 990. Plat. Cratyl. 385. B.

97) Aesch. Prom. 545. Soph. El. 236. Eur. Hel. 832. 1043. Aristoph. Ran. 1399. Plut. 131. Equ. 145. 953. Thesm. 768. Nub. 218. Mediae orationi interrogativae insertum φέρε exstat in Ran. 993. Plat. Min. 315. E. Erast. 139. C. Euthyd. 219. D. 269. A. Soph. 229. A. Reip. I, 347. C. Legg. I, 633. C. VII, 805. D. Apol. 25. D. Demosth. Leptin. 66. Lys. in Eratosth. 34.

Aristoph. Plut. 374 ὦ Ἡράκλεις, φέρε ποῖ τις οὖν τράποιτο; Nam etsi quis haec reddere velit: hör vel sag an vel tale quid sponte subaudimus, nihil tamen aliud quam universam ad dicendum adhortationem revera indicat. Interdum φέρε δή formulam etiam ἐάν particula sequitur, qua re fit, ut illa hujus fere locutionis: agedum videamus, vel alius ad sententiam aptae locum teneat. Quamquam re vera nihil amplius quam mere adhortantis est. Nam si quis illo modo loquitur, de definito verbo plane non cogitat, sed generaliter tantum adhortatur et post ipsam adhortationem certo verbo non addito statim rem, de qua monet oratione obliqua eloquitur. Plat. Min. 660. E. Vide Boeckh. in Min. p. 141. — Cratyl. 430. A. Reip. V 453 E. Deinde persaepe prima singularis numeri persona conjunctivi φέρε formulae adjungitur[98]), cujus modi usitatissima locutio est φέρ' ἴδω, fac videam, quod aut alterum adhortantis vel rogantis est, ut in Arist. Equ. 953 φέρ' ἴδω, τί σοι σημεῖον ἦν; aut suum ipsius animum attendentis vel monentis, ut in Arist. Nub. 21 φέρ' ἴδω, τί ὀφείλω; δώδεκα μνᾶς Πασίᾳ. Huc etiam pertinent loci, ubi prima pluralis numeri persona φέρε voculam, uno compellato, sequitur.

Verum jam ita a mobili verbi natura φέρε descivit, ut vel ad plures dictum in eadem singulari forma inhaeresceret, sive secunda pluralis numeri persona imperativi sive prima conjunctivi persona sive omisso certo verbo totum enunciatum sequebatur[99]).

98) Soph. Phil. 1452. Eur. Med. 1242, ubi vid. Elmsl. Or. 1282. Phoen. 283. Herc. fur. 1059. Epicharm. frgm. 95 apud Ahrens. De gr. dial. Acharn. 4. Thesm. 640, ubi vid. Fritzsch. Thesm. 603. Nub. 787. Equ. 113. 119. 1002. Av. 812. Lys. 864. 890. Eccl. 28. 33. Antipatr. Sid. epigr. in Jac. Anth. II, p. 33. Herod. 1, 11. Plat. Phaed. 63. B. Hipp. maj. 288. A. Prot. 330. B. Theaet. 151. E. Polit. 294. D. Demosth. De cor. 267. Lucian. S. Timon. 45. 57.

99) Anacr. in Bergk. Poet. l. gr. p. 733. Eur. Bacch. 1104.

Jam ab antiquorum scriptorum dicendi genere aliena ac christiani maxime aevi scriptorum propria est φέρε formula cum infinitivo εἰπεῖν, λέγειν, aliis conjuncta. In Plut. Mor. p. 98. B. haec leguntur: καίτοι φέρε λέγειν τινὰ ὡς τύχη τὰ τῶν βλεπόντων πράγματα etc., ubi φέρε λέγειν τινά aperte significat: finge dicere quempiam, lass einen sagen. Eodem modo etiam alii infinitivi φέρε imperativum sequuntur (vid. Viger. p. 763). Similiter in Dionys. Hal. Ant. 4, 36 φέρε εἰπεῖν positum esse dicitur[100]): φέρε εἰπεῖν ἀλλ' ὑπερήφανός εἰμι – –; τίς μέντοι τῶν πρὸ ἐμοῦ βασιλέων οὕτω μέτριος – –; ubi latinae locutioni „sed dixerit fortasse quispiam" respondeat, cui opponatur „at vero". Sed valde in dubium voco, num εἰπεῖν, quod in libro Vatic. deest, retinendum sit, quo deleto usitatam apud Dionysium dicendi rationem φέρε ἀλλά – – (sed age, sed dic age) habemus, ut Ant. 4, 29 φέρε ἀλλ' ἡ τοῦ κατέχοντος – –; 4, 80 φέρε ἀλλ' ἐπειδὴ – – –;

Jam ex illo quidem usu φέρε verbi cum accusativo et infinitivo conjuncti formula φέρε εἰπεῖν nata est, quae a propria natura, quae est: finge vel fac me aut te aut aliquem dicere, magis magisque recessit atque adeo obriguit, ut nulla aut personae aut numeri ratione habita cuilibet tum enunciato tum vocabulo immutata adjuncta sit. Sic Euseb. Praepar. evang. p. 13 – δόξας δὲ φιλοσόφους – – οἷον φέρε εἰπεῖν τὰς περὶ ἀθανασίας ψυχῆς – – plane formula facta est idemque quod „verbi causa" significat. Similiter, sed sine οἷον Dio

---

Andıom. 333. Arist. Ran. 1417. Thesm. 788. Asclep. epigr. apud Jac. I, p. 151. Demosth. Leptin. 26. 63. De cor. 267. Chersonnes. 34. Leptin. 38. 66. Aristocr. 57, upi vid. Weberi commentar. Aristocr. 106. 124. Phil. 3, 16. Lys. Eratosth. 34. 62. Lycurg. c. Leocr. 66. Aeschin. Socrat. 1, 2. 1, 10. Dionys. Hal. Ant. 4, 80. 6, 86. Huic formulae compares simillimam illam a verbo יָהַב deductam הָבָה, quae a certa dandi significatione ad adhortandi vim deflexit Gen. 11. 3: הָבָה נִלְבְּנָה׃ 11, 7: הָבָה נֵרְדָה׃

100) Vid. Viger. p. 316.

Chrysost. or. 31 §. 163 ἂν μή τις ἀκούσῃ τοῦ τόπου τὸ ὄνομα, φέρε εἰπεῖν ὅτι καλεῖται Λυκεῖον ἢ Ἀκαδημία--. Cf. Porphyr. De abstin. 3, 3.

Ex hac loquendi ratione brevior illa videtur orta esse, qua φέρε solum eadem qua φέρε εἰπεῖν vi dictum est. Cum autem φέρε per se in locutione φέρε εἰπεῖν valeret „fac, finge, pone", intelligitur, illud etiam sine εἰπεῖν breviter pro „nimm an, zum Beispiel" usurpari potuisse. Perraro tamen hic usus invenitur. Euseb. Praepar. ev. III. p. 120. VI. p. 247.

Et in hoc et in aliis verbis, quamvis difficile sit, ipsum torpescendi progressum nascentemque adverbii naturam persequi, manifesta tamen haec linguae nativa lex cernitur, quod definita ac vigoris plena verba sensibus subjectam naturam usu amittunt, a rebus singulis abstrahuntur et universas significationes accipiunt, multis modis mutata aut augendo aut deminuendo novas partes suscipiunt, sensim quasi canescunt, saepe vel obtorpescunt plane, interdum etiam obsolescunt. Quae quidem lex in omnibus linguis viget similesque his de quibus disputo formationes gignit, velut in nostra lingua verborum formae adverbia factae hae sunt: halt, gelt, sieh; prope a formulis absunt elliptice usurpata verba behüte, bewahre. Nostro „sieh" respondet gothica formula „*sai*".

Ex latinis formulis huc spectantibus has affero; *age, cedo, cette, puta*, quod saepe cum „ut" conjunctum est aeque ac φέρε εἰπεῖν cum ὡς et οἷον. Porro *sis, sodes, licet, scilicet, videlicet.* Itaque non bene Beckerus in Organismo linguae p. 397 contendit, adverbia nulla esse ex verbis nata.

Jam iis quos attuli graecae linguae imperativis, qui a verborum natura plus minus alienati in formulas deflexerunt, plures non novi quos addam. Quod autem tot praecipue imperativi in formulas abierunt, hujus rei ratio in ipsa imperativi natura maxime mihi videtur posita esse, quippe qui,

ut supra demonstratum est, facile sese ad sequens verbum arctius applicet atque eo ipso propriam vim et dignitatem exuat.

Verum non imperativi solum, sed etiam aliae verborum formae in formularum locum transierunt, de quibus nunc mihi agendum est.

II. FORMULAE EX ALIIS VERBI MODIS NATAE.

Paucas tantum verborum formas in hoc formularum genere numero, atque in hac provincia praecipue cavendum puto, ne quis quasdam ex pluribus vocabulis compositas formas quae elliptice potius quam particularum loco dictae sunt, etsi primo adspectu tanquam formulae esse videntur, temere in veras formulas abiisse credat. Huc vero pertinet unus optativus et nonnulli indicativi, quos revera obtorpuisse et pro formulis habendos esse existimo.

Εἶεν.

De origine hujus adverbii nequaquam consentiunt. Ac primum quidem antiquorum quorundam grammaticorum sententiam[101]), εἶεν ex εἶα exclamandi vocula ortum esse, vix opus est commemorare, cum harum vocularum naturam prorsus diversam esse quislibet facile cognoverit. Altera explicandi ratio eorum est, qui εἶεν formulam ex εἴησαν usitato modo ortam censeant[102]); quae sententia εἶεν formulae usu certe refellitur. Namque illum pluralem qua ratione tandem positum esse cogitari potest? Sive τοῦτο sive ταῦτα subaudiveris, plurali numero εἴησαν locus esse non poterit. Quodsi cum alia multa exempla, in quibus sensus singularem modum postulat, tum hoc consideraveris, Plat. Reip. I. 350 D. εἶεν,

101) Etym. M.: γίνεται ἀπὸ τοῦ εἶα τοῦ παρακειμένου ἐπίῤῥημα εἶεν.

102) Hesych. Lexic. Viger. p. 238. Pap., Passow. Lex.

ἦν δ'ἐγώ, τοῦτο μὲν ἡμῖν οὕτω κείσθω, ubi εἶεν formulae idem quod sequenti enunciato subjectum convenire apparet, intelliges εἴησαν principalem εἶεν adverbii formam esse non posse. Qua de causa εἶεν ex εἴη derivandum esse puto, auctoribus Matthiaeo[103]) et Buttmanno[104]). Etenim plena εἴη forma usu detrita et comminuta pro η brevem tantum ε literam retinuit, cui facile ν litera adjungi potuit.

Εἶεν formulae usus in antiquo epico et ionico sermone nondum, quantum scio, invenitur, apud atticos scriptores satis frequens est inde ab Aeschylo, qui jam non primaria ejus vi utitur. Memorabile autem est, quod εἶεν voculae nunquam subjectum vel οὕτω aliave adjuncta sunt, quae res argumento est, nonnisi immobilis εἶεν formulae usum exstare. Hujus autem usus varietates quaedam discernendae sunt, quas a viris doctis, licet alii alia recte statuerint, tamen non satis dilucide ea de causa demonstratas esse puto, quod paullatim progredientem significationum mutationem non persecuti sunt. Sic Heindorfius ad Plat. Lysid. p. 291 A. εἶεν formulae solam significationem „sit ita“ tribuit, particulam transeundi ἀλλά aliamve non additam fere desiderans, et alii aliter, de quibus passim sermo erit.

Jam primum εἶεν e sua natura ad sola antecedentia verba pertinet, ea probans aut concedens idemque significans quod „sit ita, esto, sane“. Itaque hic εἶεν formulam δέ, ἀλλά, aliae opponendi particulae non sequuntur. Plat. Hipp. maj. 288 A. εἶεν, πάνυ μὲν οὖν. φέρε δή, ὦ Ἱππία, πρὸς ἐμαυτὸν ἀναλάβω etc. Eodem modo Plat. reip. IV. 436 C. εἶεν opinor ab antecedentibus et sequentibus verbis disjungendum et per se solum ad affirmandam rem positum esse. Neque aliter in Plat. Menon. 75 D. scribendum puto, quod quidem Butt-

103) In ampl. gramm. §. 216, 3.

104) In ampl. gramm. §. 108, 14.

mannus in adnot. ad h. l. negat, quamquam εἶεν Socrati datum satis bene sensui convenire confitetur[105]).

Hinc autem facile transitus fit ad alteram, paullo mutatam vim, quae est concludendi antegressa verba simulque ad sequentia transeundi; atque hic particula transeundi sequatur necesse est, qua quidem aut aliquid iis, quae dicta sunt, opponi potest[106]), ut Soph. Oed. Col. 476 εἶεν· τὸ δ' ἔνθεν ποῖ τελευτῆσαί με χρή; Plat. Euthyphr. 13 D. εἶεν· ἀλλὰ τίς δὴ θεῶν – –; aut progressus ad novam rem indicari[107]), ut Plat. Phil. 15 D. εἶεν· πόθεν οὖν τις ταύτης ἄρξηται – – μάχης; Pauci tantum loci inveniuntur, ubi post εἶεν formulam sic usurpatam in citiore sermone interrogatio sine conjunctione sequitur, ut Eurip. Med. 386. Lucian. De mort. 10, 4 εἶεν· τί ἔτι;

Quamquam plerumque εἶεν formula respondentis est alte-

105) Vult etiam Stallbaum. ad h. l., εἶεν non esse respondentis, sed ejus qui antea locutus sit. Sed quod in Cratylo 410. C. verum est, non idem hoc loco probari debet. Buttmannus vero, qui loco Alcib. I, 106. A. sententiam suam confirmari censet, quippe in quo εἶεν alteri collocutori tribui non possit, num recte statuerit, valde dubito.

106) Aeschyl. Eumen. 244. Plat. Reip. I, 350. D. ubi εἶεν fusius quasi circumscriptum est: εἶεν, τοῦτο μέν ἡμῖν οὕτω κείσθω· ἔφαμεν δὲ δὴ — — Alcib. I, 106. A. Apol. 36. B. Etiam Apol 34. B. huc, opinor, referendum est. Euthyd. 279. B. Phaed. 95. A. 105. E. Prot. 312. E. Parmen. 160. B. Cratyl. 404. B. Gorg. 472. D. 496. D. Phil. 25. B. 25. D. Reip. I, 336. A. 349. D. V, 468. E. Eythyd. 295. B. Criton. 50. D. Xen. Cyrop. 3, 1, 13. 3, 1, 35. 4, 3, 8. Memor. 2, 6, 8. Demosth. Leptin. 75. ubi εἶεν formulam age vero, jam vero significare, Budaeus minus recte statuit.

107) Recte Timaeus Soph. in Lex. voc. Platon. p. 80. ubi vid. Ruhnken. εἶεν· συγκατάθεσις μὲν τῶν εἰρημένων, συναφὴ δὲ πρὸς τὰ μέλλοντα. Hesych. ei vim tribuit ἄγε δή, καὶ ταῦτα μὲν οὕτως. Vid. Moerid. p. 138. Viger. p. 238. Ast. Lex. Platon. Cf. Soph. El. 534. Eurip. El. 618. Plat. Apol. S. 19. B. Euthyd. 279. A. 293. D. Gorg. 505. C. 480. A. Reip. I, 332. D.

rius verbis, tamen etiam unius orationi insertur, se ipse quasi interpellantis et quae locutus est, concludentis, ut ad aliam rem transeat. Soph. Oed. Col. 1308 Polynices ea quae narrat mittens εἶεν· inquit, τί δῆτα νῦν ἀφιγμένος κυρῶ; item Socrates in Apol. 18 E. suam ipsius orationem ad novi quid deflectit, εἶεν formula usus: εἶεν· ἀπολογητέον δὴ etc.[108]).

Ad hanc significationem pertinet etiam locus Eurip. Suppl. 772 ἀλλ' εἶεν, ἀρῶ χεῖρ' ἀπαντήσας νεκροῖς – –, ubi Marklandus, cui ἀλλά particula ante εἶεν posita, quia nusquam sic inveniretur, offensioni fuit, ἀλλ' εἶ' ἀναίρω scribendum judicavit. At nulla sane causa est, cur in ἀλλ' εἶεν haereamus. De hoc tantum aliquis dubitaverit, utrum εἶεν hoc loco concedendi an adhortandi vim habeat. Atque equidem illam sensui aptiorem existimo. Etiamsi enim ἀλλ' εἶεν nusquam alibi legitur, tamen si sententiae ratio ita postulat, optime defendi potest[109]). Hic autem et opponitur aliquid et conceditur, quare ἀλλά et εἶεν conjuncta suum locum tenent idemque valent quod „sed sit ita".

Singularis εἶεν particulae usus exstat in Aeschyl. Choeph. 657, ubi servus ad pulsantem fores Orestem intus clamat εἶεν ἀκούω, non ad probandam vel concedendam aliquam rem, sed ut audire se eum pulsantem indicet, quod nostrum fere est „gut vel ja ja, ich höre". Sequitur autem celeri lo-

---

108) Pari modo locus Cratyl. 410. C. intelligendus est: τὸ γὰρ γεγάασι γεγεννῆσθαι λέγει. Εἶεν· τί οὖν — —, quemadmodum C. Fr. Hermannus quoque scripsit. Astius vero εἶεν formulam Hermogeni tribuit, cui Socrates respondeat τί οὖν etc. Sed Hermogenis interpellatio hoc loco minus apta est magisque consentaneum, Socratem ea quae disputavit ipsum concludere. Vid. Heindorf. ad h. l. Stallbaum. ad Plat. Menon. 75. C.

109) Vid. G. Hermann., qui in praefat. ad Eurip. Suppl. p. X et in adnot. ad Suppl. 75 ἀλλ' εἶεν recte se habere et germanice aber gut esse demonstravit.

quendi modo interrogatio sine conjunctione. Similis locus est Aristoph. Pac, 663[110]). Neque tamen εἶεν formula hac significatione stetit, sed magis etiam a verbi vi recessit. Cum enim ad sequentia verba magis referretur, exstincta concedendi vi in meram transeundi particulam deflexit. Quae quidem vis saepius non intellecta est. Sic Zeunius ad Viger. p. 238 locum affert Plat. Symp. 176 A. εἶεν, ἄνδρες, τίνα τρόπον ῥᾷστα πιόμεθα; ubi ut εἶεν formulae concedendi vim tueretur, δέ addendum esse temere censuit sed alia est loci ratio; nam Pausanias nihil quidem concedit aut probat, sed sermonem quaerendo incipit, tenui transeundi vel potius incipiendi particula usus; itaque εἶεν vertendum puto: jam, germanice: nun.

Ejus generis exempla plura exstant[111]); ac male Ficinus Plat. Lys. 216 A. εἶεν, ἦν δ' ἐγώ, οὐκ ἀλλοκότως, ὦ Μενέξενε, καὶ ἡμῖν -- ἐπιπηδήσονται; sic interpretatur: sit ita, o Men. Sed quaeso, nonne etc., quasi ἀλλά vel similis particula legeretur. Neque Heindorfius ad Plat. Lys. 219 B. εἶεν, ἦν δ' ἐγώ, ἐπειδὴ ἐνταῦθα ἥκομεν, πρόσχωμεν etc. post ἐπειδή particulam δέ ponendam esse bene suspicatus est, non apte allato exemplo e Plat. Reip. I. 336 A. εἶεν, ἦν δ' ἐγώ; ἐπειδὴ δὲ οὐδὲ τοῦτο ἐφάνη etc.

Interdum εἶεν formula interrogationi praemissa interrogantis est vel dubitanter quaerentis vel mirantis, maximeque nostro „nun“, quod ipsum varios subtiliores usus habet re-

---

110) Vid. Hermann. ad Viger. p. 770. Herm. scripsit εἶεν γ', a Pauw. et Heath. propositum, alii aliter, sed εἶεν ἀκούω, etiam in Aristophane obvium, tenendum est. Vid. Wellauer. ad Choeph. 646. Dindorf. ad Arist. Pac. 664.

111) Aeschyl. Prom. 36. Eur. Herc. fur. 1214. Phoeniss. 1631. Suppl. 1094. Plat. Gorg. 508. A. Polit. 257. A. Reip. III 412. B. IV 444. A. Demosth. Phil. 1, 22, ubi tamen concedendine potius an transeundi vim εἶεν habeat, dubitare possis.

spondet[112]). Euthyd. 290. C. εἶεν — —, τοῦτο οὕτως ἔχει; Arist. Ran. 607 εἶεν, καὶ μάχει; quem locum Brunckius, εἶεν formulae vim „nun? vel quid?“ ignorans, mutare voluit. — Sic propriam verbi vim paene omnem evanuisse apparet, quem quidem progressum ad magis universum et infinitum si quis intellexerit, tortam explicandi rationem ad concedendi vim ubique tuendam fugiet. Leguntur autem nonnulli loci, in quibus εἶεν novam vim induisse probabile est. Ab hoc enim postremo usu ad adhortandi vim processit. Utramque vero vim si consideraveris, alteram ab altera proxime abesse intelliges. Nam si εἶεν transeundi particulae interrogatio, ut solet, adjicitur, facile adhortandi, ut quis respondeat, vis nascitur, et similiter sequente imperativo vel conjunctivo fieri potest. Sed saepius difficile est ad certe dijudicandum, utra vis singulis locis aptior sit[113]), ut Eurip. Electr. 907: εἶεν· τίν' ἀρχὴν πρῶτα σ' ἐξείπω κακῶν, ποίας τελευτάς; Manifestior est adhortandi vis in Plat. Conv. 213. E.: εἶεν δὴ ἄνδρες· δοκεῖτε γάρ μοι νήφειν· οὐκ ἐπιτρεπτέον ὑμῖν, ἀλλὰ ποτέον. hic εἶεν plane nihil ab usitato ἄγε δή, φέρε δή differt[114]).

Hanc adhortandi vim εἶεν formulae etiam veteres grammatici testantur[115]), nonnulli autem recentiores negant, principalem concedendi vim solam statuentes. Sed qua ratione

---

112) Eurip. Hipp. 297, ubi Brunck. ἔα pro εἶεν legendum esse judicavit. Hec. 313. Iphig. Aul. 450. Arist. Nub. 176. Plat. Phaed. 117. A. Gorg. 489. C. 466. C. Reip. I 341. A. Polit. 257. A. ad quem locum vid. Stallb. adn., qui hanc significationem non satis a priore illa distinxit. Hipp. maj. 288. C.

113) Eurip. Herc. f. 451. Soph. El. 534. εἶεν, δίδαξον δή με. cf. Plat. Phaed. 117. A.

114) Aesch. Choeph. 719. Eur. Herc. f. 1214. Plat. Conviv. 104. C.

115) Hesych. Lex. Suidas. Etymol. M. Budaeus. H. Stephanus.

εἶεν a propria verbi natura magis magisque recedens ad hanc denique maxime universam adhortandi vim deflexerit, satis ex iis quae attuli patebit.

Ὤφελον. Ὤφελε. Ὄφελον.

Optimi scriptores vocabulo ὤφελον non usi sunt nisi verbi vi, sequente semper infinitivo ac praemissa plerumque εἴθε, ὡς similive particula. Sed haec tamen etiam omissa est. Cum autem ὤφελον sive ὄφελον solum cum infinitivo conjunctum jam idem ac si optandi particula addita esset, significaret, hac vocum simile significantium conjunctione fieri potuit, ut alterum illud alterius partes susciperet. Quod quidem vigente graecae linguae ingenio non, at paene exstincto revera factum est. Hoc cum ex nonnullis quae exstant locis patet tum veterum testimoniis confirmatur, quorum tamen quaedam non accurata sunt, ut Ammonius[116]) ita rem exponit, quasi ὤφελον non ad quamlibet sequentis verbi personam relatum particulaeque loco usurpatum sit. Neque satisfaciunt, quae in schol. in Dionys. Thrac. gramm. p. 946. 5 leguntur, ὄφελε ab εἴθε eo differre, quod in tribus personis usurpetur et cum infinitivis, εἴθε autem cum optativis conjungatur. Nam ὤφελον ceterasque quas dixi formas et infinitivo et indicativo et optativo seriore aetate conjunctas esse, certa docent exempla. Ac cum infinitivo vel rarissime occurrenti accusativo et infinitivo ὤφελον verbi na-

---

116) p. 8. ed. Valcken. Vid. Barin. Cam. eclog. v. ὄφελες. Hesych. explicat: ὄφελον· εἴθε. Suidas: ὤφελεν· εὐκτικόν. ἔστι δὲ καὶ ὤφελον. Apollon. De adverb. p. 552, 29. squ. Accuratius Moeris Lex. Att. p. 261, ubi vid. adn. Pierson. Etymol. M. haec habet: ὤφελον, ὄφελον· ῥῆμά ἐστι κατὰ παντὸς ἀριθμοῦ φερόμενον. Καλλίμαχος δέ, ἐπίῤῥημα εὐκτικόν etc., quae eadem leguntur in schol. ad Il. α, 414. Recte Thom. Mag. p. 255, 3 de adverbio ὄφελον dicit: ἀντὶ τοῦ εἴθε, ὅπερ ἀεὶ εὐκτικῷ συντάσσεται ἢ παρεληλυθότι χρόνῳ etc.

turam obtinet et personae numerique patitur mutationes. Verum ubi verbum finitum sequitur, flexibilitatem verbi exuit et in particulae usum versum est. Memorabile autem est, quod non solum prima, sed etiam tertia persona, ὤφελον, ὄφελον, ὤφελε, particulae instar usurpata invenitur. Jam indicativo praeteriti temporis post ὤφελε Callimachus usus est in epigr. 57. Jac. Anth. I, p. 225. ὤφελε μηδ' ἐγένοντο θοαὶ νέες· οὐ γὰρ ἂν ἡμεῖς etc. hic ὤφελε aeque atque εἴθε optantis est, ut aliquid factum esset, quod non factum est[117]). ὤφελον cum indicativo praeteriti legitur apud Arrian. Epict. 2, 18. ὤφελόν τις μετὰ ταύτης ἐκοιμήθη[118]).

Saepius ὄφελον invenitur cum indicativo praeteriti conjunctum. Nov. Test. 1 Cor. 4, 8 καὶ ὄφελόν γε ἐβασιλεύσατε[119]), atque semel etiam cum indicativo futuri, Gal. 5, 12 ὄφελον καὶ ἀποκόψονται οἱ ἀναστατοῦντες ὑμᾶς. quae dicendi ratio a Luciano Soloec. 1. aliquem soloece loquentem faciente cum irrisione exhibetur: ὄφελον καὶ νῦν ἀκολουθῆσαι δυνήσῃ. Sed etiamsi haec locutio in inusitato dicendi genere numeranda est, non difficile tamen est, intellectu qua ratione nitatur. Nam cum ei, qui ut aliquid eventurum sit optat, in ipso optando certa ac quasi praesens exsistat res, ad exprimendam hanc mentis confidentiam ac certae cogitationis vigorem indicativo futuri optativi loco uti potest. Itaque proprie duae sunt confusae cogitationes, altera est mera optatio, ut aliquid eventurum sit, altera enunciatio, illud jam certe eventurum esse.

Frequenter ac semper cum indicativo praeteriti Quintus Smyrn. ὄφελον formula usus est, conjuncta ea quidem ple-

---

117) Vid. Zeun. ad Viger. p. 275. Stephan. et adn. Dindorf. Matthiae. gramm. §. 513, 3.

118) Cf. Athen. 4, p. 156. A. ὤφελον — — διεφθάρην.

119) 2 Cor. 11, 1.

rumque cum ὡς vel αἴθε, ut 5, 575 ὥς μ' ὄφελον τοπάροιθ' ἀμφὶ τραφερὴ χάνε γαῖα et sic ubique [120]) praeter 2, 61 et 3, 464 ὡς ὄφελέν με χυτὴ κατὰ γαῖα κεκεύθει. quocum si locum ceterum simillimum 3, 572 compares: ὡς ὄφελόν γε γαῖα χυτὴ ἐκάλυψε, recte Hermannum [121]) ὄφελον pro ὄφελεν scribendum censuisse existimes. Sic igitur eadem ὄφελον forma, quae in Homero nativam verbi vim habet ac vigoris adhuc plena est, Quintus, accuratissimus ejus imitator, tanquam mortua omnique mobilitate vacua formula usus est.

Optativum vero quoque cum ὄφελον conjunctum esse, locus psalmi 118, 15 testatur: Ὄφελον κατευθυνθείησαν αἱ ὁδοί μου.

In hac autem formula cernitur, quomodo linguae formae saeculorum cursu attritae et comminutae rigidam tantum naturam saepe retineant. Brevior enim forma ὄφελον, cum antea etiam plena forma ὤφελον usurpata sit, seriore aetate ita increbruit, ut ὤφελον particula fere nusquam inveniatur.

Οἶδ' ὅτι. Ἴσθ' ὅτι.

Etsi multum abest, ut οἶμαι, ἴσθι, alia verba, saepe orationi mediae inserta pro formulis habeam [121]), jure tamen οἶδ' ὅτι, et ἴσθ' ὅτι in formularum numerum referre mihi videor. Ad quod confirmandum ab eo usu ordior, quo formulae ratio atque origo continetur. Huc quidem spectant satis frequentes loci, in quibus ὅτι verbo caret atque apta

---

120) 1, 729. 4, 30. 5, 206. 218. 419. 537. 565. 6, 14. 7, 656. 10, 395. 405. 428. 12, 266. 13, 231. 14, 300. Similiter etiam alii recentiores scriptores, ut Gregor. Or. 28.

121) Ad Orphic. p. 825.

122) Οἶμαι verbum est, ita tameu mobile, ut post ipsas praepositiones positum sit. Plat. reip. VIII, 564. A. ἐξ, οἶμαι, τῆς ἀκροτάτης ἐλευθερίας δουλεία πλείστη. et inter articulum et substantivum interjectum Plat. Gorg. 483. C. ἡ δέ γε, οἶμαι, φύσις.

verbi forma facile ex antecedentibus verbis subauditur, quod non solum de οἶδ' ὅτι, sed etiam de aliis loquendi formis valet, ut de δῆλον ὅτι Plat. Gorg. 475. C. Inde plane in particulae vim deflexit, Plat. Parmen. 158. A. Μετέχοι δέ γε ἂν τοῦ ἑνὸς δῆλον ὅτι ἄλλο ὂν ἢ ἕν. Aristot. Eth. Nic. 1, 3 καὶ ὁ πλοῦτος δῆλον ὅτι οὐ τὸ ζητούμενον.

Jam eadem torpescendi ratio in οἶδ' ὅτι valet. Atque hujus ellipticus usus exstat Eurip. Phoen. 1619. τίς ἡγεμὼν μοι ποδὸς ὁμαρτήσει τυφλοῦ; ἥδ' ἡ θανοῦσα; ζῶσά γ' ἂν σάφ' οἶδ' ὅτι, ubi facile apta verbi forma intelligitur.[123]). Verum alii inveniuntur loci, qui difficultates praebent non ita faciles ad expediendum. Duplex enim usus genus esse potest, quod dubitationi locum dat. Altero in eo cernitur, quod οἶδ' ὅτι et ἴσθ' ὅτι vocabula interdum verbum finitum sequitur, alterum in eo, quod praecedit verbum. Ac quaeritur, formulaene tum habendae sint illae voces necne. Ad illud genus pertinet locus Dem. De pac. 10: ὡς οἶδ' ὅτι μνημονεύετε. Hic sane aliqua causa est, cur quis ὅτι ad μνημονεύετε referendum putet. Nam quae est graecae linguae mobilitas, οἶδ' ὅτι verbis ita ut propriam vim teneat, interjectum esse, non veri dissimile est. ὡς autem etsi specie quidem ad οἶδα refertur, tamen, si sensum spectas, ad μνημονεύετε, ut necesse est, pertinet. Paullo aliter res in aliis locis se habet[124]). Dem. de fals. legat. 311: ὡς ἅπαντες εὖ οἶδ' ὅτι τὸν λόγον τοῦτον ἀκηκόατε. Dem. Philipp. 2, 29: οὔτ' ἂν ὑμεῖς οἶδ' ὅτι ἐπαύσασθε πολεμοῦντες. Neque ἅπαντες neque ὑμεῖς, si οἶδ' ὅτι formulam esse neges, usitato modo dictum est, cum aut accusativus verbo praemitti aut nominativus postponi deberet. Tamen vero mihi persuadere non possum, neutiquam

---

123) Similiter ἴσθ' ὅτι dictum est Arist. Plat. 889. Thesm. 12. Pac. 373.

124) Dem. de fals. legat. 7. ibid. 228. et 347.

Graeco sic loqui licuisse. Cur enim in tanta graecae linguae mobilitate ac flexibilitate orator vocabulum, cui pondus tribuat, non liberius in initio orationis collocet?

In Soph. Antig. 758 ἀλλ' οὐ, τόνδ' Ὄλυμπον, ἴσθ' ὅτι χαίρων ἐπὶ ψόγοισι δεννάσεις ἐμέ, si ἴσθ' ὅτι propriam vim habere statuas, οὐ praemissum quidem verbis ἴσθ' ὅτι, tamen aliquo modo ad χαίρων referri possit, sin formulae loco habeas, quod probabilius mihi videtur, nulla difficultate verba laborant[125]). Huic dissimilis locus legitur in Dem. Leptin. § 167 οὐκ οἶδ' ὅ τι δεῖ πλείω λέγειν, pro quo Wolf. in adn. ad h. l. οἶδ' ὅτι, quod pro particula affirmandi saepius interponeretur, scribendum censuit. Eadem fere verba leguntur apud Isocr. in Trapezit. p. 365 D. Ac mihi quidem non bene οἶδ' ὅτι post ipsum οὐκ allatum dissecari ab hoc videtur; multo magis mihi οἶδ' ὅ τι probatur, quod in simili loco propter ἔγωγε certum est, Dem. de fals. leg. 242 οὐ γάρ ἔγωγ' οἶδ' ὅ τι χρὴ λέγειν ἄλλο. De hoc igitur usu per se spectato cum dubitatio non omnis tollatur, jam alteram quam dixi loquendi rationem, de qua certius aliquid constitui posse arbitror, consideremus. In Soph. Antig. 276 hoc est: πάρειμι δ' ἄκων οὐχ ἑκοῦσιν, οἶδ' ὅτι, quod si solum inveniretur, valde dubitarem οἶδ' ὅτι pro formula habere; sed alia satis multa occurrunt exempla, quibus illud in formulam transiisse probabile fit. Sunt autem, qui ad οἶδ' ὅτι sine verbo postpositum aptam verbi antecedentis formam subintelligendam censeant[126]), quod recte fieri nego. Nam quamquam, ut modo demonstravi, οἶδ' ὅτι ex elliptico usu natum est, tamen eodem singulos quosque locos interpretari et ab usu abhorret et ratione caret. Quae est enim similis huic loquendi ratio? nullam equidem novi. Verum etiam, sive οἶδ' ὅτι ita

125) Vid. Ellendt. Lex. Sophocl. v. ὅτι.

126) Stephan. Thes. Adnot. ad Viger. p. 269.

transponis, ut ad verbum antecedens pertineat, sive verbum ad οἶδ' ὅτι subintelligis, pariter rationi repugnat. Nam alterum est, vim orationi inferre, alterum artificiose ac torte interpretari. In promtu est notabilis locus, quo quis fortasse ad tuendam illam sententiam nitatur. Est in Arist. Ran. 601 sq. ὅτι μὲν οὖν, ἤν χρηστὸν ᾖ τι, ταῦτ' ἀφαιρεῖσθαι πάλιν πειράσεταί μ' εὖ οἶδ' ὅτι. Sponte apparet, οἶδ' ὅτι hic ad praecedens ὅτι pertinere, qua tamen re multum abest ut confirmetur, οἶδ' ὅτι vocabulis praecedens verbum regi. Etenim plane alia hujus loci ratio in eo cernitur, quod ὅτι conjunctio in initio sententiae posita est; quae si deest, minime licet sic agere, quasi res aeque se habeat. Erat autem verborum compositio sic incepta, ut priorem particulam ὅτι usitato modo verbum οἶδα sequi deberet, sed mutata est illa quidem levi anacoluthia et οἶδ' ὅτι postea dictum, quasi ὅτι particula non antecessisset. Itaque etiam hoc in loco οἶδα cum ὅτι confusum pro affirmandi vel confirmandi formula usurpatum est. Usi sunt hac formula sic post verbum posita raro tragici poetae, saepius Aristophanes, interdum etiam oratores et rerum scriptores et seriores[127]). Non dubium est, quin formula sit in Dem. Phil. 2, 30 ταῦτα γάρ ἅπαντα μνημονεύετ' οἶδ' ὅτι ῥηθέντα. nihil ineptius esset, quam subintelligere οἶδ' ὅτι μνημονεύετε. Similiter Arist. Vesp. 1348 ἀλλ' οὐκ ἀποδώσεις οὐδ' ἐφιαλεῖς οἶδ' ὅτι.

Εὖ adverbium autem, interdum οἶδ' ὅτι formulae additum, non est, cur tibi scrupulum injiciat. Etenim οἶδ' ὅτι, etsi pro formula recte habetur, non eo tamen in adverbiascendo processit, ut verbi vim plane abjiceret, sed tantum verbalis notionis remansit, ut οἶδα verbo εὖ adverbium adjungi posset.

127) Arist. Plut. 183. Lysistr. 154. Pac. 365. Xen. Hellen. 6, 1, 4. Cyrop. 5, 1, 5. Lucian. Hermotim. 30.

Restat ea loquendi ratio, qua οἶδ' ὅτι formulam verbum finitum neque sequitur neque antecedit. Quo ex genere locus est Dem. Phil. 3, 1 καὶ πάντων οἶδ' ὅτι φησάντων γ' ἄν, unde perspicue cognoscitur, οἶδ' ὅτι plane obtorpuisse adverbiique loco interjectum esse nisi cui perperam in mentem veniat, etiam hic verbum finitum subintelligere vel etiam vero participium φησάντων ab ὅτι particula regi, serio contendere [128]). Etiam adjectivo adjungitur, Dem. Aristocr. § 33 τὸ μὲν δὴ μὴ λυμαίνεσθαι γνώριμον οἶδ' ὅτι πᾶσι μὴ μαστιγοῦν, μὴ δεῖν — — λέγει [129]). Singularis quaedam ratio loci est Plat. Apol. 27 ἔλωμαί τι ὧν εὖ οἶδ' ὅτι κακῶν ὄντων, quem recte explicavit Hermannus in adn. ad Viger. p. 755, duas locutiones in unam confusas esse statuens [130]). Neque autem οἶδ' ὅτι hic formula vere dici potest, quia ad ὧν — — ὄντων, participium quidem, sed per attractionem dictum, arctissime referendum est. Hoc igitur omisso loco ex illis tamen οἶδ' ὅτι verae formulae usus clare patet. Atque ex certo usu colligens fortasse quispiam idem etiam de illis quos primum attuli locis dubiis statuerit omninoque οἶδ' ὅτι pro formula usurpatum esse censuerit. Quod tamen equidem, minus verum puto. Nam paullatim facti adverbiascendi progressus ratio habenda est neque varii mutationis gradus confundendi sunt.

Ἔστιν ὅτε.

Formula ἔστιν ὅτε verene adverbii loco usurpata sit, dubitari potest. Quae enim variae inveniuntur locutiones, quas formulas vere esse arbitreris, partes tamen potius adverbio-

---

128) Similiter habet Dem. de falsa legat. 9.

129) Vid. Weberi adnot. h. l.

130) Zeunius perperam κακά ἐστι subintelligendum censuit. Recte Erfurdt. ad Soph. Antig. 2.

rum saepe tenent. Qua tamen in re non adeo obstinate agendum est, ut, quamvis molesta sit explicatio, tamen vetus ac propria vis omnibus modis teneatur. Immo vigoris ac mobilitatis plena est lingua varianturque ejus formae, quemadmodum plantae, quam qui vigentem viderit, postea aetate confectam et arescentem facile plane non agnoscat, neque enim nisi ab intelligente quaenam sit, cognoscitur, at a non intelligente temere longe alia esse dicitur. Jam igitur formula ἔστιν ὅτε num a nativo vigore longius recesserit, quaeramus. Ac respiciendus est usus verbi ἐστί cum pronominibus relativis conjuncti, quod verbi vim paene amisit in locutionibus ἔστιν οἵ, ἔστιν ἃ, ἔστιν ὧν, ἔστιν οὕς, similibus, quae, quemadmodum latinum „nescio quis", absolute orationi inseruntur, sequente vel praeterito, quasi dictum sit ἔνιοι etc. Thuc. 2, 67 καὶ βουλομένοις ἔστιν ἃ εἰπεῖν αὐθημερὸν ἀπέκτειναν πάντας. Thuc. 7, 11 ἀπὸ τῶν ἐν Σικελίᾳ πόλεων ἔστιν ὧν ibid. 1, 6 ubi vide Kruegerum.

Jam simillime ἔστιν etiam cum ὅτε aliisque adverbiis conjungebatur. Primum quidem flectebatur ἔστιν, si praeteritum tempus sequebatur, ut Pind. Dithyr. 9 Ἦν ὅτε σύας τὸ Βοιώτιον ἔθνος ἔνεπον. Tum autem quasi obtorpescente locutione etiamsi tempus praeteritum sequebatur, praesens verbi εἶναι ponebatur. Thuc. 2, 81 καὶ ἔστιν ὅτε οὐδὲ ἑωρῶντο. Et hic et in similibus locis non facile est ad dijudicandum, utrum ἔστιν ὅτε prorsus particulae vim habeat necne. Videtur autem hic usus praesentis ἔστι sequente praeterito inde ortus esse, quod qui rem factam narrat, tanquam praesentem eam menti suae proponere potest, ἔστι verbo utens, tum vero verbum, quo res ipsa declaratur, quia praeterita est, praeterito tempore eloquitur. Sic intelligo locum Herod. 2, 120 οὐκ ἔστι ὅτε οὐ δύο ἢ τρεῖς – – ἀπέθνησκον. cf. Thuc. 2, 13. 3, 24. Cui loquendi rationi simillimus usus est verbi ἔστι

vel εἰσί cum pronomine relativo conjuncti sequente tempore praeterito. Thuc. 2, 13 ἔστι δὲ αὐτοῦ ὅ καὶ ἀφύλακτος ἦν. 3, 24 εἰσὶ γὰρ τινὲς αὐτῶν οἳ ἀπετράποντο. cf. 1, 65. Quibus locis consideratis certum esse puto, ἔστιν ὅτε, si verbum finitum sive praesentis sive praeteriti temporis sequitur, absolute et formulae loco non esse dictum. Huc pertinet Thuc. 2, 39, nec non 3, 45, ubi ἔστιν ὅτε non solum ad participium, sed etiam ad sequens verbum referendum puto. Interdum verbum post ὅτε subaudiendum est, ut in Pind. Ol. 10, 1 ἔστιν ἀνθρώποις ἀνέμων ὅτε πλείστα χρῆσις, ubi ἔστιν ὅτε adverbii ἐνίοτε vim quidem habet, at formula vera non est[131]). Cf. Pind. frgm. 68 p. 227 ed. Schneidew. Thuc. 6, 88. puto etiam in Plat. Phaed. 62 A. verbum facile subintelligi. Verum ab hoc usu ἔστιν ὅτε magis magisque deflexit adeoque vigorem omnem et verbi vim exuit, ut in adverbii modum sermoni absolute insereretur. Qui usus jam apud Sophoclem invenitur in Ajac. 56 κἀδόκει μὲν ἔσθ' ὅτε δισσοὺς Ἀτρείδας αὐτόχειρ κτείνειν ἔχων, ὅτ' ἄλλοτ' ἄλλον — —. Plane eadem hic ἔσθ' ὅτε formulae significatio est atque in Plat. Theaet. p. 150 A. adverbii ἐνίοτε. Neque ullo modo verbum ad ὅτε intelligendum esse existimo, quemadmodum Hermannus l. l. in Theocr. 24, 25

οἳ βασιλῆϊ πολὺν καὶ ἀθέσφατον ὄλβον
ῥύομεθ' ἐνδυκέως, τριπόλοις σπόρον ἐν νειοῖσιν
ἔσθ' ὅτε βάλλοντες, καὶ τετραπόλοισιν ὁμοίως

ῥυόμεθα ad ἔσθ' ὅτε subaudiri contendit, quod poetae menti in tali verborum structura non obversari potuisse pro certo habeo.

Eadem ratio est Thuc. 1, 25 et 3, 43 hic autem ἔστιν

131) Hermann. ad Viger. p. 919. Thiersch. Act. philol. Mon. I, p. 206. Stephan. Thes. gr. l. Vid. Hesychium.

ὅτε cum participio σφαλέντες, non cum verbo ζημιοῦτε, ut Kruegerus explicat, conjungendum est.

Apparet igitur ex his, ἔστιν et ὅτε in unam confusa esse significationem, verbique vim plane evanuisse, etsi forma jacturam non fecit.

Opineris fortasse, eodem modo quo ἔστιν ὅτε etiam ceteras simillime compositas voces particularum loco usurpatas esse, ut ἔστιν ὡς, ἔστιν οὗ, ἔστιν ᾗ, ἔστιν ὅπως, ἔστιν ὅπου. Sed valde te fallit opinio. Nam ubicunque hae locutiones occurrunt, verbi vis iis inest, cum verbum semper sequatur aut facile ex superioribus verbis subintelligatur. Unum tantum vero ἔστιν ὅπῃ a recentioribus nonnullis scriptoribus tanquam formula usurpatum esse videtur. Herodian. 6, 6, 10 οὐ γὰρ ἀνάνδρως Ῥωμαῖοι ἡττήθησαν, ἀλλὰ καὶ αὐτοὶ τοὺς πολεμίους ἔσθ' ὅπῃ κακώσαντες. cf. 6, 1, 18.

Jam finem hujus disputationis facerem nisi quaedam restarent, quae huc pertinere videantur potius quam vere pertineant. De quibus mihi paucis agendum est.

Boeckhius in not. crit. in Pindar. p. 406 vulgatam de ἐνίοτε adverbii origine ab εἷς ducta sententiam refutans ex ἔνι ὅτε potius ortum illud esse contendit. Quae quidem sententia cum primum mihi valde arrisisset, accuratius tamen usum perscrutanti in dubium venit ac minus probata est. Quae argumenta Boeckhius contra Schneiderum (Lexic. gr.) aliosque, qui alteram sententiam defenderunt, attulit, recte quidem habent: namque et posterioris aetatis ἐνίοτε quam ἔστιν ὅτε est et ἐνίοτε particulae origo ab εἷς ducta propter contrarium spiritum magna laborat difficultate. Sed alia habeo argumenta, ex ipso usu promta, quae Boeckhii sententiae obstare puto. Primum enim in ipsa verbi ἔνι signi-

fication offendo, quod tum idem quod ἔστι valere deberet. Verum etsi Suidas ἔνι explicat verbis: ἔστιν, ὑπάρχει[132]), exemplum non addens, cum tamen vim ἔνεστιν loco Aristophanis confirmet, tamen solam vim „es gibt, ist vorhanden“ unquam in verbo ἔνι inesse nego. Immo quotquot inveniuntur exempla, ἔνι verbum aut vim „inest“ similemve aut „licet“ habere, certe confirmatur[133]).

Quod cum ita sit, probabile non est, ἔνι verbum cum οἵ et ὅτε conjunctum esse, quippe quod in hac compositione alia vi atque quam soli verbo ἔνι inesse constat, usurpatum esset. Nullum autem illius originis argumentum est, quod ἔστιν οἵ et ἔστιν ὅτε saepius eodem modo dicta reperiuntur, quo ἔνιοι et ἐνίοτε. Saepe enim variae locutiones ad sensum congruunt, quarum vera tamen natura prorsus diversa est. Confer, si placet, ipsum ἔστιν ὅτε, quod saepe idem fere valet, quod ἐνίοτε particula, at raro vera particula est. Item ἔστιν οὗ et ὅπου et ἔνθα reddi possunt adverbio „nonnusquam“, ἔστιν ᾗ adverbio „nonnusquam, quodam modo“, quamquam in formulas non abierunt, alia aliter.

Huc accedit, quod ἔστιν ὅτε, antequam particulae naturam induit et postea quoque frequentur naturali verbi vi usurpatum occurrit, at ἔνι ὅτε et ἔνι οἵ disjunctae formae, quamquam ἐνίοτε posterioris usus est quam ἔστιν ὅτε, nunquam inveniuntur. Quod non factum esse, certe mirum esset et prorsus ab aliarum formularum historice ortarum et cognoscendarum similitudine abhorreret.

132) Idem etiam Matthiae. in ampl. gramm. gr. p. 903 sine ullo exemplo tradit. Item Cyrill. in Lex.

133) Il. υ, 248. Od. ι, 126 (pro ἔνεισι). Aeschyl. Pers. 738. Soph. El. 1031. Od. R. 170. 1239. Arist. 348. Herod. 7, 112. Thuc. 2, 40. Xen. Memor. 3, 8, 4. Cf. Thuc. 5, 38. Xen. Cyr. 2, 1, 25. Plat. Polit. 271. E. ubi, etsi dativus deest, notio aliquid in aliqua re inesse similisve conspicua est. Demosth. Phil. 1, 41.

Itaque ἐνίοτε adverbium jure ab hoc formularum numero seclusisse mihi videor.

Ceterum ipse meliorem ac certam ἔνιοι et ἐνίοτε vocabulorum derivationem quam proferam non habens rem in medio relinquere cogor.

Altera locutio, quae formula a nonnullis habetur, est ἦ δ' ὅς. Quam sententiam imprimis Buttmannus tuitus est in ampl. gramm. gr. I § 109, 11 et Lobeck. in Rhemat. p. 332, qui quidem grammaticorum quorundam testimonia secuti contendunt, ἦ δ' ὅς etiam ad feminas et ad plures relatum esse. At vero hic usus nullo exemplo nobis confirmatur, quod certe magni momenti est, quia ἦ δ' ὅς sexcenties apud Platonem aliosque invenitur, atque etiam ipsa veterum testimonia minime inter se congruunt. Adverbii instar dictum esse ἦ δ' ὅς traditur a scholiasta Aristoph. Lysistr. 514 schol. Platon. p. 9. Suida. similiter in Proverb. Append. Vatican. p. 282. Contra in Apoll. Dysc. gramm. praeter usitatam loquendi rationem nihil de ἦ δ' ὅς affertur, et in Photii Lex. et in Etymol. M. affertur quidem ille usus a Buttmanno defensus, addito tamen, hanc esse Charetis et Critolai cujusdam sententiam, quae ab Eratosthene et Aristarcho refellatur. — Sed nolo hic plura dicere, cum Fritzschius ad Arist. Ran. p. 16 fusius de hac re et recte, puto, disputaverit, cui etsi non concedo, tam mirum esse, quod nonnulli grammatici de illo usu tradunt — nam qua ratione locutiones antea mobiles usu attenuatae paullatim in formulas plane abierint, in hac ipsa disputatione satis vidimus —, tamen illam Charetis et Critolai sententiam in veterum grammaticorum somniis numerandam ac majorem fidem probatis illis grammaticis quam obscurioribus quibusdam in re plane nullo exemplo confirmata habendam esse existimo.

VITA.

Natus sum Guil. Franz. Sigism. Gustavus Hofmannus Brunfelsiae ad Loganam anno MDCCCXXXV die XVII mensis Septembris patre Ern. Guilelmo, consiliario intimo principis de Solms, matre Amalia e gente Mueller. Evangelicae fidei addictus sum. Primis literarum elementis domi instructus anno MDCCCL gymnasium Wetzlariense adii, ubi quinque annos moratus Erlangam me contuli et philosophiae studiosus civibus academicis adscriptus sum. Scholas per annum adii Naegelsbachii, Doederlini, Rud. Raumeri, Friderichsii et in seminario philologico Naegelsbachii rectoris institutione fruitus sum utilissima. Tum Gottingam profectus Sauppii scholis usus sum, qui vir cl. identidem monendo, ut certa via ac ratione in veteribus legendis ab Homero incipiens inde gradatim per varia tempora et literarum genera usque ad extrema descenderem, quo foret, ut totius quasi nascentis et paullatim ad perfectionem progredientis antiquitatis cognitio dilucida menti pararetur, studiis meis novam atqne utilem monstravit viam. Praeterea Curtii, Ewaldii, Leutschii scholis interfui. Hinc proxima aestate Bonnam migravi et inter academiae Fridericae Guilelmae Rhenanae cives relatum literis me imbuebant O. Jahnius, Welckerus, Ritschelius, Schopenius, Brandisius, Calkerus, Knoodtius, Dahlmannus, Simrockius, Bleekius, Delius, Springerus. Postquam biennium hic versatus sum, inciderunt

subito rerum publicarum molesti motus, quibus aestatem domi consumere cogebar, militiae munere si qua necesse esset functurus. Sedatis autem animis pace necopinato restituta Berolinum sum profectus, ubi Boeckhii, Droysenii, Hauptii scholis et seminario philosophico Trendelenburgo moderatore adhuc intereram.

Quibus omnibus viris clarissimis illustrissimis propter summa de me merita quam maximas possum gratias ago.

SENTENTIAE CONTROVERSIAE.

1) Romani vere lyricam poesin non habuerunt.
2) Nibelungias et Guthrun non minus quam Homerus in scholis sunt legendae.
3) Zenodoti lectiones in Iliadis α, 5 δαῖτα et β, 484 Ὀλυμπιάδες βαθύκολποι non cum Aristarcho in πᾶσι et Ὀλύμπια δώματ᾽ ἔχουσαι mutandae sunt.
4) In Iliadis δ, 339 cum Zenodoto φαίδιμ᾽ Ὀδυσσεῦ legendum est, non κερδαλόφρον. Item in Il. α, 350 ἐπὶ οἴνοπα πόντον pro ἐπ᾽ ἀπείρονα πόντον retinendum.
5) Philosophia theologiae non contraria est.
6) In Tibulli I, 3, 18. non Saturnive sed Saturni aut legendum est.
7) Revolutiones saepe reformationes sunt.
